

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 1 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 2 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS







Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 5 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ILLVSTRISSIMIS
CLEMENTISS. q; PRINCIPIBVS,

VVILHELMO
ET
IOANNI VVILHELMO,

DVCIBVS IVLIACENSIBVS, CLIVENSIBVS & MONTENSIBVS,
COM. MARCHIÆ & RAVENSPVRGI, DOMINIS IN
RAVENSTEIN, &c.

PATRI & FILIO

DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS
GRATITVDINIS
ERGO

GERARDVS MERCATOR
RVPELMVNDANVS,
IN PERPETVAM MEMORIAM
DEDICAT CONSECRAT q;.



GERARDI MERCATORIS RVPELMVNDANI EFFIGIEM ANNORVM ET SEX — AGINTA, SVI ERGA IPSVM STVDII CAVSA DEPINGI CVRABAT FRANC. HOG. CIↃ. IↃ. LXXIV.

In Effigiem carmen.

Gerardus Mercator erat sic cognitus orbi,
Duysburgi raperet cum sera parca virũ.
Octonos decies, binosq; exegerat annos,
Et menses octo, tresq; nonemq; dies.
Doctus erat verè, pius, integer, omnibus æquus,
Ingenio dexter, dexter & ipse manu.
Sidera cum terris connexit, sacra prophanis
Addidit, at rectè fecit utrumq; tamen.
Astra Mathematicus radio descripsit acuto,
Et dedit in paruo conspiciенda globo.
In tabulas terræ spatiosum contulit orbem,
Inq; globo mundi regna videnda dedit.
Et ne quid cæli studijs, terræq; deesset,
Historiam docuit tempora certa loqui.
Sacraq; detexit vatum mysteria, Christi
Præcones iussit quattuor ire simul.
Atq; ea sic fecit superos ut vinceret omnes
Artifices, proprio marte, manuq; sua.
Fœlix prole sua, natisq; nepotibus ex se,
Spem gratæ certam posteritatis habet.
At quod Christe tuum sectatus ovile, beatus
Perpetuo tecum pascua læta capit.
Et quamuis placuisse Duci non infima laus sit.
Attamen est maior laus placuisse Deo.

Benevolentiæ ergo Bernardus Furmerius Leovardiensis Licentiatus Iuris, mœstus scribebat.

EPITAPHIVM GERARDI MERCATORIS TEVTOBVRGI CLIVENSIVM OPIDO SEPVLTI.

DEO OPT. MAX. SACRVM.

GERARDO MERCATORI FLANDRO RVPELMVNDANO IVLIACENSIVM PROVINCIA ORIVNDO DOMESTICO CAROLI QVINCTI ROM. IMP. ET GVILIELMI P. AC. IOANNISGVILIELMI F. IVLIACENSIVM CLIVENSIVM &c. DVCVM. COSMOGRAPHO.

MATHEMATICORVM SVI TEMPORIS FACILE PRINCIPI: QVI GLOBIS ARTIFICIOSIS RADIO DIMENSIS CÆLVM AC TERRAM INTERIVS ET EXTERIVS QVA LICVIT DEMONSTRAVIT A VARIA DOCTRINA LAVDATO.

VIRTVTE QVOD CAPVT EST ET INTEGRITATE VITÆ ET OMNI MORVM COMITATE CLARO HEREDES PATRI BENEMERENTI DOLENTES ET ERVDITORVM STVDIOSA COHORS AMICO POSVERVNT.

EDITVS IN LVCEM FVIT III NONAS MARTII H VI A M ∞ D XII

EXCESSIT E VIVIS IV NONAS DECEMB H XI A M ∞ D XCIV

QVIS FVERIM QVERIS TERRAM CÆLO AVSPICE TOTAM
DISPEXI SVPERIS INFERA CONCILIANS
PER ME COLLVCENT IN CHARTIS SIDERA CÆLI
INDIA ET ANTIPODES VELIVOLVMQ MARE
TOTIVS ET MVNDI DIGESSI TEMPORA FASTIS
ORBIS VT IMMENSI CLAREAT HISTORIA
CETERA QVÆ CVDI SI POSTVMA LEGERIT ÆTAS
PRODESSE ILLA SIBI ME VOLVISSE SCIET
IAM CORAM VT VIDEAM CÆLO TERRAQ TONANTEM
LVCIDA CONSCENDI SIDERA TERRA VALE
O TE FELLICEM CHRISTO QVI VIXERIS VNI
VT CVM QVO VIXTI VIVERE CVM HOC LICEAT

OS HOMINI SVBLIME DEDIT.

Io. Metellus I. C

Aliud.

Qui quantum patet vniuersus Orbis,
& quicquid fuit vniuerso in Orbe,
Tum rerum atque Hominum vices per Orbem,
nec non quas habeat Polus figuras,
quæ natura sit & rigor Planetis,
solerte ingenio, labore, amußi,
est dimensus & assecutus, ille
tot possessor opumque merciumque
MERCATOR modica tenetur vrna.
Sed cur Marmore non renidet, atque
saxis fluctilibus locus refulget?
Non fama lapides sua putauit
custodes: fore sed libros Virorum
doctorum in manibus, quousque stabit
fixus mole sua vniuersus Orbis,
& quantum patet vniuersus orbis,
longè post lapides & Æs & Aurum.
At MENS vlterius profecta Cœli
Rectorem, studio fidelis acri
Cognouit colusitque semper. Hinc &
nunc in deliciis agit DEIque
conspectu fruitur perenne, & vltra
quam Mundi manet vniuersus Orbis.

Lambertus Lithocomus,
L L. studiosus.

Errorum insigniorum, qui in hoc opere imprimendo contigerunt, castigatio.

In prima parte Atlantis.

Fol. 3. lin. 11. lege intellectui. & linea sequenti lege potens. eodem fol. cap. 2. lin. 2. lege filum. & exornatissima pro è ornatissima. fol. 6. cap. 1. lin. 17. fac pro veritate, varietate. fol. 8. lin. 5. initio. ibidem cap. 3. lin. 25. fac traditus. fol. 9. lin. 25. pro ibi, lege sibi. fol. 10. lin. 34. fac receptas. fol. 13. lin. 31. lege incommunicantia. fol. 14. pro poris, lege temporis. fol. 21 lin. 3. apparebit legè. lin. 32. illa lege. & lin. 41. lege illius pro illo. fol. 23. lin. 48. lege viteriore. fol. 24. lin. 46. similia lege. fol. 28. lin. vlt. lege annuum. fol. 29. lin. 33. lege fota.

In secunda parte Atlantis.

Tabula. 1. lin. 4. lege Geographiam. lin. 5. lege ad inferiora, &c. lin. 24. Ebudibus lege. tabula 2. lege lin. 13. In Islandia. &c. tabul. 7. lin. 17. lege maioribus, pro moribus. tab. 18. lin. 10. lege Aggerhusia. eadem in Sueciæ Regno lin. 5. indegenas lege.

VITA
CELEBERRIMI CLARISSIMIq; VIRI
Gerardi Mercatoris Rupelmundani,

à Domino Gualtero Ghymnio, Patricio Teutoburgensi, ac eiusdem oppidi antiquissimi Prætore dignissimo, conscripta.

GErardus Mercator Illustrissimi Principis Iuliæ, Cliuiæ, Montis, &c. Cosmographus longè exercitatissimus, æditus est in lucem anno millesimo quingentesimo duodecimo, quinta Martii, sub auroram, hora sexta, à parentibus Iuliacensibus videlicet Huberto Mercatore, & Emerentiana eiusdem vxore, Rupelmundæ in finibus Comitatus Flandriæ, apud illius patruum Gisbertum Mercatorem eiusdem oppidi pastorem vigilantissimum commorantibus. Cumq; pueritiam egressus esset, primaq; rudimenta latinæ linguæ in patria vtcunq; didicisset, missus fuit à prædicto suo patruo Buscoducum, vt ibidem in domo fratrũ Grammaticæ studiũ absolueret & initia dialecticæ addisceret, deditq; hisce literis operam sub Georgio Macropedio, sumptibus & impensis superioris pastoris, annis (ni fallor) tribus cum dimidio. Hinc ablegatus est ab eodem ad celeberrimam academiam Louanien sem, ibiq; in collegio Porci in conuictu constitutus, artibus humanioribus tantisper operam accommodauit, donec Magisterij gradum adeptus esset: post promotionem annos aliquot, cum singulari quadam animi delectatione, in studijs philosophicis sese exercuit priuatim, cæterum cum hoc studij genus, ad alendam familiam, impar illi in posterum videretur, sumptusq; grauiores in prosequendo exigeret, priusquã huiusmodi fastigium consequi posset, vtinde amplum lucellum sibi, suisq; polliceri potuisset: deserto igitur studio philosophico, animum ad Mathesin adiecit. Hisce disciplinis tam diligentem laborem impendit, vt intra paucissimos annos illius rudimenta, apud quosdam studiosos priuatim profiteretur, instrumentaq; mathematica, videlicet, Sphæras, Astrolabia, annulos astronomicos, & eiusdem generis alia, ex ære paulatim fabricaret & conficeret. Anno ætatis suæ vigesimo quarto à natiuitate vero nostri redemptoris Christi, supra millesimum quingentesimum, trigesimo sexto, initio septembris, Vxorem ibidem duxit, Ciuem Louanien sem, nomine Barbaram Schelleken, quæ illi succedentibus annis sex proles, videlicet tres filios totidemq; filias peperit. Mercatore autem animaduertente quod tam fœlicem progressum in artibus Mathematicis faceret, vt ingenij sui vires magis excoleret, cæpit ad sculpendas tabulas animum applicare, vtq; ea in re exercitatior fieret, initium huius laboris sumpsit, & exorsus est Louanij à descriptione terræ sanctæ, quam deinde multorum cum admiratione anno Domini trigesimo septimo absoluit, & in publicum prodire curauit. Has suas (tabularum geographicarum) primitias Ornatissimo viro Francisco Craniueldio, Inuictissimi Imp. Caroli Quinti Consiliario, inscripsit. Præceptorem in superioribus disciplinis neminem (vt mihi sæpius retulit) habuit, sed solummodo priuata instructione, celeberrimi quondam Doctoris Gemmæ Frisij (qui tum temporis, inter eximios Mathematicarum disciplinarum cultores, in vniuersa inferiori Germania facile habebatur) vsus, magna animi alacritate) Mercatoribus quibusdam vrgentibus) Flandriæ descriptionem meditatus & aggressus est, breuiq; temporis interuallo ibidem expediuit. Absoluta Flandria libellum de literarum latinarum (quas Italicas cursoriasq; vocant) scribendarum ratione, anno 1541 Antvverpiæ euulgauit. Cumq; tirocinium suarum artium passim à doctis viris commendari intelligeret, mox alterum opus, videlicet globi terrestris sculpturam, suscepit atque inchoauit, vniusque aut alterius anni curriculo, videlicet anno quadragesimo primo prædicto, hanc operam fœlicibus auibus absoluit, & amplissimo grauissimoq; viro Domino Nicolao Perenotto Domino a Granuella prædicti Cæs. Caroli Quinti, secreti consilij Consiliario longè dignissimo dedicauit. Interea temporis ex huius clarissimi viri commendatione peruenit in notitiam prænuncupati Imperatoris, felicissimæ recordationis Caroli Quinti, illiusq; Maiestati, quam plurima instrumenta mathematica artificiosissimè fabricauit parauitq; quę in bello Saxonico, non procul ab Engelstadio in Ducatu Bauariæ, in horreo quodam (vt illi Imperator post reditum ex Germania Bruxellis retulerat) igne ab hostibus clam succenso, liquefacta & consumpta fuerant, quapropter iussit sibi per Mercatorem confici noua. Interiecto decennij interuallo, alterum globum, quo cœli planetarum ac cœlestium signorum constitutionem complexus est, in publicum emisit, & Reuerendissimo ac Illustrissimo Domino Georgio ab Austria, Episcopo Leodiensi &c. anno quinquagesimo primo Louanij inscripsit. Eodem quoq; tempore conscripsit libellum de vsu globi ad Carolum Quintum Imp. item de vsu annuli astronomici tractatulum. Anno sequenti videlicet quinquagesimo secundo Louanio ex Ducatu Brabantiæ, huc Duysburgũ in Cliuia, cum superiore charissima vxore, & suauissimis liberis commigrauit, habitatumq; venit. Cumq; sedem hic apud nos in nostra vicinia fixisset, paulo post iussu eiusdem Imperatoris, duos exiguos globulos, vnum ex purissimo Cristallo conflari: alterum ex ligno confici curauit: in illo planetarum sydera, cum præcipuis signis cœlestibus, adamante incisa, auroq; illuminata, & inducta erant: hic orbis terrarum descriptionem (quantum orbiculi angustia ferebat, quæ globi magnitudinem, quo pueri in circulo ludunt non excedebat) exactissimam continebat, quos ipsemet cum alijs

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

alijs quibusdam mathematicis instrumentis, Imperatori prænominato Bruxellis obtulit. Priusquã autem Louanio discederet, auspicatus erat Europæ descriptionem, tabulasq; tres vel quatuor ibidẽ perfecerat, cæteras (a latis secum æneis tabulis) cum hic habitatum veniret, biennij spacio scilicet quinquagesimo quarto anno, mense Octobri absoluit & euulgauit, atq; Attrebatensium præsuli reuerendissimo domino, Domino Antonio Perenotto Imp. Maiestatis Consiliario primario, Nicolai (cuius superius mentionem honorificam fecimus) filio, opus dedicauit, huius heroici animi magnificentiam, & insignem liberalitatem in honorario, quod illius amplitudo, pro inscriptione prædictarum tabularum illi contulit, re ipsa expertus est. Eandem hanc Europam hic Duysburgi emendauit anno 1572. Mense Martio. Quod opus tantis laudibus à doctissimis quibusq; viris passim effertur, vt vix simile in Geographia, in lucem vnq; prodijsse videatur. Rebus suis hoc modo constitutis, oblata est illi ex Anglia, à singulari quodam amico, Britannicarum insularum descriptio, magna diligentia, summaq; fide congesta, rogans vt tabulis æneis incideretur, quod amico suo denegare non potuit, & tam absoluto, doctorumq; hominum conspectu, digno operi, manum subducere iniquum putauit; hanc igitur prouinciam suscipiens, anno sexagesimo quarto prælo commisit, Eisdem fere temporibus Ducatum Lotharingiæ, Duce illius veniam à nostro Principe illi impetrante, oppidatim ac per singulos pagos accuratissimè per stationes dimensum, post reditum calamo exacte descripsit, sueq; celsitudini Nancei obtulit, quæ profectio cum tanto vitæ discrimine coniuncta fuit, adeoq; vires illius debilitauit, vt parum abfuerit quin ex terrore grauissimum morbum sibi conciliasset & animi perturbationem incidisset. Quadriennio interposito videlicet, sexagesimo octauo suam Chronologiam (cuius infra latiorem mentionem faciemus) in publicum prodire (typographo cum amicis vrgentibus) passus est. Breuissimo temporis curriculo intercedente, nouum opus, scilicet vniuersi orbis exactissimam descriptionem, in amplissima forma intuentium doctorum hominum, ac peregrinantium, & nauigantium oculis, conspectuiq; exhibuit, atq; proposuit, (inuentione noua & conuenientissima spheram in plano extendendo, quæ sic quadraturæ circuli respondet vt nihil deesse videatur, præterquam quod demonstratione careat, vt ex illius ore aliquoties audiui,) nulliusq; alterius in tam vasto opere, vsus est subsidio vel ope, sed propria manu, quicquid in tabula conspicitur sculpsit, lymbo solummodo excepto: Deoq; illius labores, ac conatus fortunante anno sexagesimo nono, mense Augusto, augustissimo operi, finem hic Duysburgi imposuit, ac Illustrissimo Principi Guilielmo Duci Cliuiæ &c. Clementissimo Domino suo inscribere æquissimum esse putauit iudicauitq;. Absolutis prædictis tabulis, animum ad instaurandas & à mendis repurgandas, Claudij Ptolomæi (qui sub Antonio Pio Imperatore floruit) olim æditas tabulas, adiecit, veteremq; Geographiam ad mentem autoris tanta diligentia restituit, ac emendauit, vt hoc nomine eximiam commendationem optimo iure, à liberalium artium, ac mathematicarum disciplinarũ cultoribus promerucrit: Huic labori operiq; colophonem addidit atq; imposuit, anno septuagesimo octauo, mense februario, dedicauitq; Illustrissimo ac Clementissimo Principi nostro pijssimę memorię, bonorũ studiorũ, mecenati præstantissimo. Ad hęc tametsi longè ante Abrahamum Ortelium, ideas quasdam mente concepisset, de edendis alijs tabulis generalibus ac particularibus totius q; mundi situm, in minorem formam redigere animum induxisset, & quodãmodo exemplaria aliquot in bono numero, calamo depinxisset ac pro debita proportione, locorum distantias dimensus esset, ita vt nihil amplius restaret, quam vt æneis tabulis incideretur. quãdoquidem tamen prædictus Ortelius singulari amicitia, ac familiaritate illi iunctus esset, distulit igitur de industria, eatenus & tantisper inchoatum laborem, donec exemplaria sui orbis, Theatro in copiosissimo numero, cum magno facultatum ac fortunarum suarum incremento, vendidisset, priusquam suas prædictas minores tabulas in lucem emitteret. Ne autem diutius multorum doctorum virorum expectationem vana spe fraudaret, res suas ita composuit, ac instituit, vt annõ octuagesimo quinto vniuersæ Galliæ & Germaniæ tabulas, mense Augusto hic Duysburgi imprimi curauerit, & Generosissimo ac Serenissimo Principi Iohanni VVilhelmo, præsenti Duci nostro clementissimo inscripserit, & dedicauerit. Hisce peractis Italiæ generalem ac particulares tabulas æri insculpere aggressus est, prosperoq; successu, anno nonagesimo mense Aprili, easdem absoluit, & Potentissimo ac Serenissimo Ferdinando Medici Duci Etruriæ dedicauit. Paulo post, ex ordine Septentrionalium prouinciarum descriptionem exorsus erat, & non contemnendum progressum in ijsdem fecerat; cæterum fata illi huius operis absolutionem ac euulgationis commodum inuiderunt: illius heredes vero (vt Lector in sequenti opusculo vides) intuentium oculis easdem exhibent. Chronologiam quoq; prædictam plurimum auxit antiquitatibus & demonstrationibus: item libellum de arte geographia conscripsit quę illius heredes propediem se in lucem emissuros sperãt. Quod si illi Deus vitam longiorem atq; valetudinem concessisset, decreuerat partes Occidentales videlicet Hispaniam cum Portugalia in minores tabularum formas quoq; redigere, prælo q; committere: Aliaq; quam plurima se in Geographia prestiturum esse, animo quidem conceperat, cæterum euentus, vt dixi votis defuit, successumq; fœliciorem denegauit. Quæ hactenus dicta sunt in illius insignis, atq; eximij viri laudem, ac commendationem, hæc in Geographicis ac Mathematicis disciplinis præstitit. Perueniamus nunc ad illius vtilem operã, quam theologiæ studiosis nauigauit. Priusquam præsentis (in inferiori Germania) belli, turbulentissima tempora, exorta essent, conscripserat Harmoniam Euangelicam quã ita comparauit, vt quilibet lector contextum vniuscuiusq; Euangelistæ legere commode queat, pro illa serie atq; ordine quoquisq; Euangeliũ conscripsit: sin vero aliquem delectaret ex quatuor euangelistis continuam historiam Euangelicam cognoscere, illi liberum esset, vna eademq; lectione votis suis satisfacere, cuius editionem a Theologis magni nominis

auide

auide desiderari atq; commendari meis audiui auribus, pauloq; ante nundinas autumnales anni 1592 prædictum opus in lucem prodire curauit, amplissimo ac grauissimo viro Domino Henrico à VVeze Cliuiæ Cancellario dignissimo. Conscripsit præterea commentaria in epistolam ad Romanos, in quibus luculenter admodum ac solidè controuersias quasdam nostri sæculi, de Præscientia ac Prædestinatione Dei, de libero itẽ arbitrio, magna ingenij dexteritate diluere, & pro virili componere conatur. Item in Ezechielis aliquot capita, in Apocalypsim & alia plura: quod si contingat (quod paulatim futurum spero) vt in publicum prodeant, non est dubium quin illius boni viri, impensa opera, piusq; conatus, quam plurimis doctis viris optimè probabitur.

Quam bene quoq;, Mercator de Historiarum candidatis ac studiosis meritus sit, illius Chronologia quam anno sexagesimo typis commisit, abunde satis testatum facit, quam clarissimo longeq; celeberrimo viro domino Henrico Oliuerio, Cliuiæ Cancellario honorifico inscripsit. Quod opus passim per Italiam, atque Germaniam doctissimis quibusq; viris, adeo vsque placuit, tantæq; admirationi fuit, vt Onuphrius Panuinus Veronensis Italus, antiquitatum indagator & excultor præclarissimvs, & eximius (vt de aliorum vndequaque doctissimorum virorum, magnificis de superiori scripto testimonijs taceam) Mercatorem nostrum omnibus alijs exercitatissimis Mathematicis, & antiquitatum cultoribus multis nominibus præferre non sit veritus. Cuius testimonium, vt lectori magis compertum fit, non abs re factum me putaui, si prædicti auctoris ipsissima verba, quæ ex epistola quadam (quam Onuphrius ad amicum suum Iohannem Metellum, virum summæ eruditionis, maximiq; iudicij conscripsit) extraximus, hic referamus, quæ sic habent.

Sed hoc ego palam de Mercatore libereq; profiteor, ex omnibus quos hactenus in hoc studiorum genere mihi videre licuit, vniuersos autem qui extant legi, neminem existere cui ego iure sane Mercatorem tuum, siue res spectes & ordinem, siue iudicium & industriam intuearis: siue motuum cœlestium (quantum ad hoc attinet) animaduersionem consideres, longè non præferam. Quapropter à te pro amicitiæ nostræ sacra peto, vt eum tu mihi propter communia temporum saltem studia, familiarem dum eum conuenies vel ad eum scribas, vltro reddas.

Quis adhæc immensum illius laborem quẽ a multis annis (oblata inter legẽdum rerum oportunitate) in extrahendis, annotandis, atq; in ordinem redigendis genealogijs, Illustrissimorum heroum ac celeberrimarum familiarum (quæ a condito mundo passim floruerunt, atque pro præsenti rerum statu per Europam vigent) consumpsit ac impendit, satis dignis laudibus, atque nominibus celebrare ac commendare poterit? Quas proculdubio oblata oportunitate prælo commissurus fuisset, quod si diuturnior ætas diuinitus illi concessa esset. Quodque postremo decreuerit ac proposuerit, & quodammodo delineauerit plura opuscula posteritati (monumenti loco) post obitum relinquere, illius epistola dedicatoria, quam tabulis Galliæ & Germaniæ præfixit apertè indicat, cuius hic est tenor: exigebat operis distributio & ordo, vt primum de mundi fabrica & distributione partium in vniuersum: deinde cœlestium corporum ordine & motu: tertio de eorundem natura, radiatione & operantium conflexu, ad veriorem Astrologiam inquirendam: Quarto de Elementis: Quinto de regnorum, & totius terræ descriptione: Sexto de Principum à condito mundo genealogijs, ad emigrationes gentium, & primas terrarum habitationes, rerumque inuentarum tempora, & antiquitates indagandas tractarem. Hic enim rerum naturalis est ordo, qui causas & origines earundem facile commonstrat & ad veram scientiam sapientiamque optimus dux est &c. hactenus ille. Huic operi titulum imposuit: Atlas siue cosmographicæ speculationis libri quinque. In primo descripsit opificium ac fabricã mundi, quem etiam durante paralysi sinistri brachij, pro fallendo tempore absoluit: eundemque partum præ cæteris tota vita (ipso teste) parturiuit. In secundo Astronomica prosequi inceperat, sed non finiuit: in tertio Astrologica explicaturus erat. In quarto de creatione elementorum, de motu solis & lunæ, item de situ & ordine planetarum, tractatum meditabatur Quintum Geographiæ totius terrarum orbis destinauerat, si illi vitæ spatium concessum fuisset. Sed in hoc postremo opere longè alio ordine, quam vnquam hactenus, ab aliquo attentatũ aut factitatum est, orbem in tres æquales continentes diuidere decreuerat, quarum vnam Asiam, Aphricam & Europam constituisset: alteram Indiam Occidentalem, cũ omnibus regnis & prouincijs illi contiguis: tertiam vero etsi adhuc latentem, & incognitam esse non ignorauerit, solidis tamen rationibus atque argumentis demonstrare ac euincere se posse affirmabat, illam in sua proportione geometrica, magnitudine & pondere ac grauitate, ex duabus reliquis nulli cedere aut inferiorem vel minorem esse posse, alioquin mundi constitutionem in suo centro non posse consistere, hæc Australis continens à scriptoribus appellatur. Hactenus de illius in lucem emissis atq; emittendis elucubrationibus differuimus, explicauimusque: restat nunc vt pauca quædam, de illius placidis moribus honestissimoque vitæ genere, in eximij viri laudem ac commendationem dicamus. Fuit homo sedatissimi ingenij, singulari animi candore, ac sinceritate prædituis, pacis ac tranquillitatis publicę & priuatæ amantissimus, adeo vsque vt à quadraginta duobus annis, quibus hic Duysburgi cum sua familia habitauit, cum nemine ex ciuibus verbum commutauerit, aut cuiquam controuersiam mouerit, vel ab alijs in ius vocatus fuerit. Magistratui detulit honorem & obseruantiam quam debuit: cum vicinis vbicunque habitaret, semper illi optime conuenit nemini aduersus fuit, aliorum studijs (quatenus decuit) obsecutus est, nullique sese prætulit. Vxorem habuit castissimis moribus ornatam, morigeram curæ domesticæ bene instructam suæque vitæ generi conuenientem quæ anno 86. Augusti 24 ex hac vita migrauit: proles obsequentissimas, bonaq; indole præditas; filios suos à tene-

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 10 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ris annis Iohanni Othoni, deinde genero suo Molano in liberalibus artibus instituendos commisit. Natuque maiorem nomine Arnoldum (qui anno trigesimo septimo vltima Augusti, huius vitæ pelagus Louanij ingressus erat) simulatque humanioribus literis vtcunque imbutus esset, statim in Mathematicis disciplinis illum instituit atque exercuit. In eisdemque intra paucos annos adeo vsque profecit, vt in fabricandis exactè, ornateque iustrumentis mathematicis, quæ summis Germaniæ aliquibus magnatibus apparauit, vix parem habuerit: In Geographia & Chorographia autem, si quis alius, exercitatissimus fuit, Archiepiscopatus enim Treuirensis & Cattimœlibocensis comitatus dimensiones diuerso tempore (petentibus id Reuerendissimis & Illustrissimis Principibus Electore & Guilielmo Landtgrauio, illiusque operam insigni honorario remunerantibus) aggressus breui absoluit, accuratissimeq; non sine laude calamo exarauit ac descripsit: Vrbis quoq; Colonienſis situm chorographicum per pedes dimensum tabulisq; æneis pulcherrime incisum, adiunctis quæ in illis etiamnum a Romanorum temporibus antiquitates conspiciuntur in lucem edidit: Postremo Hassiæ regionem amplissimam ex voluntate prædicti Landtgrauij anno octuagesimo sexto dimetiri cum exorsus esset morte præuentus eam vti instituerat absoluere nequiuit, quapropter filius eius natu maximus Iohannes postea prouinciam hanc suscipiens, tandè exactissimè describendo absoluit, qui & cum fratre suo Gerhardo plerasque Ptolomei, huiusque noui Geographici operis tabulas Aui sui eri inscul pserunt: Prædictus Arnoldus in vxorem duxerat Dusseldorpij doctissimi viri Iohannis Monhemij Rectoris ibidem scholæ publicæ longè dignissimi filiam Elizabetam, quæ illi fecunda decem partubus tredecim proles videlicet nouem filios cum quatuor filiabus peperit, filiorum duo Gerhardus iam dictus cum fratre suo Michaele in Geographiæ studio præclara ingeniorum suorum specimina ædiderunt dum trium vastissimarum orbis terræ partium videlicet Africæ, Asiæ & Americæ descriptionem, in tam angustam formam redigerunt vt vniuscuiusque earum situm ac pro Geometrica proportione magnitudinem, in spatio vnius foliꝰ chartæ complexi sint, hominumque conspectui proposuerint. Deus Optimus Maximus illorum labores, laudabilesque conatus prosperet benequè fortunet. Vir fuit pro ætate acutissimi ingenii, bonique in Mathematicis artibus iudicij, quæ mirum in modum auxit quotidiana rerum experientia. Quod si superis annuentibus ad maturam ætatem peruenisset, euasurus erat in insignem architectum publicarum structurarum. Præterquam enim quod quicquid librorum in hisce artibus alibi extaret sibi comparauerat diligenterque euolutus erat, habuit quoque accuratam admodum (in ciuitatibus & munitissimis quibusque principum arcibus delineandis, quas illi inspicere licuit, quibus & Theatrum vrbium, suppressò tamen nomine non parum auxit) publicorum operum, videlicet propugnaculorum, fossarum, mœnium, vallorumque rationem, ita vt facile in hac arte suam operam cum laude viris principibus, vel rerum publicarum gubernatoribus offerre atque elocare illi licuisset; cæterum proh dolor in flore ætatis immatura morte pleuritide ex hac vita, anno octuagesimo septimo sexta Iulii, sublatus est: Prædicta illius vxor quadriennio interposito, videlicet anno nonagesimo primo decima septima Augusti maritum sequuta, naturæ debitum exoluit. Secundus ex filijs Bartholomeus dictus Heidelbergæ in Palatinatu in collegio sapientiæ, studijs philosophicis, linguarum græcæ & hæbraicæ cognitioni operam ibidem dedit. Hic anno 63 conscripsit libellum de Sphæra Domino Henrico Barsio dedicatum, cumque adolescens optime spei viginti octo annorum esset morbo correptus, obiit anno sexagesimo octauo. Natu minimus Rumuldus nuncupatus hæredibus Birckmanni aliquot annis cohabitauit, primo Londini deinde Antvverpiæ & in distrahendis libris sese exercuit: Interea temporis Geographiæ quoque studium coluit, ita vt domum reuersus, Patri suo quem iam multis & grauibus studijs occupatum ostendi, in delineandis tabulis Geographicis adiumento fuerit. Patris sui vniuersalis orbis terræ & Europæ descriptiones in compendium redegit, ac totius Germaniæ delineationem in magna forma, patriæ studiosis edidit, & Illustrissimo Guilielmo Hassiæ Landgrauio &c. dedicauit: Sperandum est ex hac pharetra plures huiusmodi sagittas euolaturas. Filias suas intra priuatas parietes in omni pietate ac timore domini educauit ac instituit, natuque maximam nomine Emerentianam Iohanni Molano cuius superius memini, cum hic Rectorem ageret, elocauit. In ordine filiatum proximam nomine Dorotheam, primo mercatori Antvverpiensi Alardo Six, cui duas filiolas protulit, post illius obitum ciui VVesaliensi Tilmanno de Neufuille in vxorem dedit: Postremam Catharinam Theodoro Verhaer Ludimagistro, matrimonio iungi procurauit. Ab illo tempore quo noster Gerardus Mercator hic habitatum venit, pro mutua familiaritate atque vicinitate frequenter illum conueni, nunquam vero otio, vel tantillum temporis indulgentem repperi, sed vel historiographum aliquem, aut alium grauem aurorem (quorum instructissimam bibliothecam domi habebat) euoluentem aut scribentem, vel sculpentem, aut arduis meditationibus indulgentem, occupatum & intentum offendi. cibi potusq;, tametsi semper esset parcissimus, culinam tamen habuit luculentam, rebusque necessarijs ad honestè viuendum bene instructam, valetudinis suæ conseruandæ gratia, curam gessit accuratissimam: sin vero in morbum aliquem inciderit, statim Doctoris Solinandri, illius integerrimi amici opera vsus est. In pauperes tenuioriſque fortunæ homines, beneficus semper fuit, hospitalitatisque cultor ac conseruator extitit, quo ad viueret. Quotiescunque a senatu ad publica solemnia conuiuia, vel ab amicis ad priuata euocaretur, aut ipse alios inuitaret, hilarem & facetum sese exhibuit, præbuitque, & aliorum moribus se accommodauit, quantum corpusculi constitutio ac pietatis ratio ferebat. In familiari conuersatione, & colloquio facilem & iucundum se præstitit, & si quandoque

quandoq; in viros doctos incideret, nihil illi accidere potuit gratius, quam amicè ac familiariter, de communibus philosophicis, phisicis vel mathematicis studijs: de conseruanda bona valetudine, tuendaque sanitate: componendis in religione controuersijs: de clarissimorum virorum rebus gestis, regionum situ, ac cœli constitutione, item de peregrinarum gentium moribus, legibus & statutis conferre. Cum Domino Iohanne Evvichio, Ambrosio Mauro, Iohanne Othone alijsq; doctis viris hic commorantibus amicitiam conseruauit arctissimam. Ioannem Molanum doctissimum virum, & insignem poëtam, adeovsq; in amore eximium habuit, vt illi filiam natu maximam in vxorem daret. Coloniæ cum multis quoque doctis viris illi notitia atque familiaritas intercessit, inter quos Doctor Albada Frisius, Iohannes Metellus, ac Petrus Ximenius, non postremum locum occuparunt. Sed quid de exiguo ciuilium amicorum numero, quorum quotidiana familiaritate hic mecum fruebatur, verba facio, cum apud viros principes, & potissimum Illustrissimum ac Generosissimum defunctum nostrum (fœlicissimæ recordationis) principem: Comitem Hermannum Nuenarium aliosque comites, barones ac viros nobiles, in tali reputatione atque existimatione extiterit, vt cum illo familiaritatem coluerint atque conseruauerint. In illius Celsitudinis amplissimo consiliariorum ordine ac Medicorum celeberrima corona quoque, vix quisquam (ab anno quinquagesimo secundo quo intra ambitum huius ciuitatis se continuit sedemque fixit) fuit, qui nostrum Mercatorem non ex animo amauerit, magnique vt æquum est semper fecerit. Neque solummodo in hisce vicinis regionibus Anglia, Dania, Gallia, inferiori & superiori Germania, Italia &c. tot tamque illustribus & præclaris amicis munitus fuit, sed vbique terrarum, celeberrimi viri in copioso numero reperti sunt, qui scriptis ad illum familiaribus literis, cum illo amicitiam contrahere, mutuam amicitiam colere, tueri ac conseruare conati fuerunt; Illiusque celebertima fama adeo vsque creuit, diuulgata & passim sparsa est, vt etiã ad remotissimos Indos peruenerit, ac cum Doctissimo viro Philippo Sassetto in Goa, Orientalis Indiæ ciuitate notissima commorante, mutuis literis concertauerit: huiusmodi ac similium epistolarum non exiguus fasciculus apud illius heredes, in promptu reperitur. In disputationibus fuit acutissimi ingenij & exercitatissimus: in laboribus suæ professionis indefatigabilis: in rebus prosperis & secundis, moderatum, in aduersis patientissimum sese præstitit exhibuitque. Corpore fuit sic satis benè constituto, bonaque valetudine plerumque vsus est, præterquam quod in senili ætate aliquando podagra laboraret. Cum priore obi vxore in statu coniugij quinquaginta annis, & tribus septimanis vixit, Mensibus aliquot, post huius tum, duxit in vxorem viduam Ambrosij Moer consulis huius ciuitatis dum viueret. Anno nonagesimo quinta Maij paralysi sinistri lateris correptus est, cui morbo D. Solinander celeberrimus longè que exercitatissimus Illustrissimi nostri Principis Medicus pro virili mederi, & consulere conatus quidem fuit, cæterum ingruescentis ætatis incommoda, succesſum fœliciorem impedierunt. Cumque illi linguæ vsus integrè restitutus esset, vidi illum lachrimantem, pectusque suum terque quaterque pugno tundentem, atque dicentem: percute, vre, seca seruum tuum domine, & si non satis acriter percussisti, percute fortius, acriusque pro beneplacito tuo, vt in futura vita mihi parcas &c: Tametsi vero catenus paulatim pristinæ valetudini (adhibitis ex præscripto superioris medici, diuersis remediorum generibus) restitutus sit, vt more solito placide nocturno tempore quiesceret, bonoque cum appetitu, cibum facilioris digestionis sumeret, vinique aut cereuisiæ mediocri haustu vires reficeret, sinistri nihilominus tamen cruris ac brachij potentiam (quamuis quotidianis inunctionibus illius nurus summa cum diligentia prædicta membra, ad vnius fere horæ spatium mane ac vesperi, præstantissimis vnguentis vbi opus erit affricaret) recuperare non potuit. Quapropter sibi de cella prospexit, qua a familia, ex cubiculo vbi decumbebat, ad hypocaustum, aut culinam pro illius placito portaretur. Præsente autem constitutione non obstante vel prohibente, studiorum suorum cursum, in suo antiquo vigore pro virium suarum exiguo modulo obseruauit, paululumque temporis sibi elabi passus est, quin aut lectioni grauissimorum autorum intentus esset aut aliquid conscriberet, aut saltem in meditationibus rerum maximi momenti illius animus occupatus esset, nihilque magis indigne tulit, quam quod durante morbo tantam pretiosissimi temporis iacturam fecisset. Sæpissimeque non sine ingenti animi dolore conquestus est, quod imbecillitate corporis impeditus, opuscula aliquot, quæ mente (vt superius memini) conceperat, ac præmanibus quodammodo habebat, absoluturus non esset, quod, proh dolor, ita euenit, vt illi animus sæpenumero dictauerat. Quamobrem iustissima doloris causa omnibus studiosis, præsertim autem Mathematicarum disciplinarum candidatis offertur, cur illius celeberrimi viri inopinatum obitum, pro humana fragilitate egerrimè ferant. Elapso triennij curriculo, in maximum capitis defluxum incidit, qui ita fauces cum illius gutture ita obstruxit vt linguæ vsum aliquandiu amitteret maximaque cum difficultate si quid esculenti, aut poculenti illi offerreretur, deglutire posset quæ vero ægritudo sese paulatim nonnihil remisit. Ingruente autem læthalis morbi necessitate, pridie illius diei quo ex hac vita emigraret, coram concionatore & vicinis, de ingenti dolore omnium membrorum conquestus, Omnipotentis Dei misericordiam cum summa animi fiducia, iterato aliquoties sermone implorauit, eodemque quo moreretur die, eundem vt pro se publicæ præces finita concione celebrarentur, obnixe postulauit, quæ postrema illius vox fuit quæ a circumstantibus intelligi potuit, placidissimèque paulo post vndecimam ante meridiem, postridie calendarum Decembris, cum vixisset annos octoginta duos, hebdomadas triginta septem horas sex, & vidisset pronepotes, in domino obdormiuit. Dominus Deus illi largiatur lætissimam resurrectionem in die iudicij.

EPITAPHIVM

in obitum

GERARDI MERCATORIS

Auo suo, piè ac placidè vita defuncto.

A Missum luxi qui nuper vtrumq; parentem,
Heu miser ad tumulos cogor abire nouos.
Sic, Aue, te venerande pium qui dogma dedisti
Sæpius, hinc nobis te rapit atra dies?
Sic doctrina grauis, pietas sic prisca peribit,
Hæcq; sepulchralis conteget vrna simul?
Absit vt hæc perijsse queant quæ morte tenaci
Consumptos vitæ perpetis esse iubent.
Has licet cineri lachrymas tamen addere Auito,
Nam pressus nimium, cor ferit ille dolor.

Thesbitæ vt quondam vatis successor, in altum
Quadrigis rapti dona recepit heri.
O vtinam doctæ mihi sic quoque portio mentis
Cedat, & eximiæ pars quotacunq; manus.

IOANNES MERCATOR

Ex primogenito nepos, hisce mœrens parentabat.

EPISTOLÆ DVÆ

Duorum doctissimorum virorum

Doctoris Reinhardi Solenandri Illustriss. Ducis Iuliæ, Cliuiæ, Montis, &c. Medici videlicet, & D. Iacobi Sinstedij D. V. I. in laudem Atlantis conscriptæ.

S.P. Doctissime Mercator amicorum integerrime, remitto tibi meditationem tuam in sex dierum opera conscriptam, mihi mirum in modum gratam & acceptam. Nam sola illa in naturalium rerum cognitionem deducimur. Quando tua apodictica argumenta clarè & ad viuũ demonstrant, Cœli, Aëris, Aquarum & Terræ, prima & originalia principia, de quibus inter Ethnicos Philosophos magna fuit dissentio. Tuis itaque rationibus probè perspectis & intellectis, non amplius vanissima Aristotelis monstrosa priuatione seducemur. Memini cum illud vanum fallaxque figmentum à Petro Ramo Parisijs impugnaretur, vnde hæreseos accusabatur: vtpote qui Aristotelica fundamenta hactenus in omnibus scolis approbata niteretur conuellere. Magnam itaque tibi habituri sunt, omnes studiosi gratiam, quod tandem verissimam principiorum & causarum cognitionem, diuinitus imbutus in hisce extremis Mundi fecibus, nobis communicaueris. Transscriptum ex tuo exemplar misi Greuenbrochium ad Amicum meum integerrimum, Dominum Iacobum Sinstedium, Iuris D. hominem doctrina, pietate & probitate insigni. Is legit & cum hoc epistolio ad me remisit, ex quo vt intelligas ipsius mentem & iudicium, ipsius ὑπογραφὴν ad te mitto. Ille obnixè precatur (quia putat me apud te aliquid valere) vt te admoneam & adhorter, quo hoc scriptum prima quaque occasione omnibus bonis & doctis communices. Ego vero non hoc solum, sed magnopere flagito, vt cæteros libros quoquomodo possis, expedias, forte tergiuersando valetudinem atque ætatem proferes (vt ego ætatem & negotia plerumq; prætendo) verum mihi videtur, vt grauis ætas, non solum te non excusare debeat, sed magis vt matures hos labores, stimulum addere. Vtinam, si mihi liceret à meo decrepito & male sano Principe (cui solus in hoc difficili seruitio seruio) abesse, non solum valetudinis tuæ causa aliquoties ad te excurrissem, sed ea potissimum ratione te conuenirem, te vt monerẽ expeditum q; redderem, quo auspicata hæc, & bene incepta absolueres: tum etiam de iucundis his studijs, iucunde & amicè tecum vt conferrem, Cum in tuę huius meditationis lectione me oblecto, & veluti Cygneam cantionem tuã animo excipio, venit mihi in mentẽ quod cum Galenus noster, vsum humani corporis partium doctè explicaret, votum quasi animo conceptum calamo omnipotenti Deo voueret. Memini enim quando sub finem 3. li. de vsu partiũ explicatè fatetur, illos suos commentarios se ceu hymnos quosdam conscribere, in quo veram magis pietatem consistere existimaret, quam si taurorum ἑκατόμβαν ei plurimas sacrificaret, & casas aliaq; sexcenta vnguenta suffumigaret: præferebat his omnibus se ista prius scire, exponere deinde aliis quæ nam sit ipsius Dei sapientia, quæ prouidentia, quæ potentia, quæ bonitas, quorum ignoratio Ethnicus ille summam impietatem iudicabat, non si à sacrificio abstineret: qua sententia haud longe mihi à sacro

à sacrosanctorum vatum sententijs videtur disiunctus. Mirificè delinitus sum ex Mose recognoscendo vera physices elementa & principia, quæ tu in hoc tuo scripto euidentissimis demonstrationib⁹ proponis, re veritatis cupidus lector tuis argumentis non sine ratione acquiescere possit. Mirum quam variæ & diuersæ opiniones de mundi materia apud Ethnicos scriptores passim legantur, vt videre est apud Galenum in historia philosophica: apud Laërtium in vitis Philosophorum: Plutarchum in libris quatuor de placitis Philosophorum (qui mihi physicorum dogmatum epitome videntur) apud Platonem etiam; tum ex Christianis apud Epiphanium in confutatione octuaginta hæresium, qui explicate res adnotarunt: vt de multis alijs nihil addam. Quæ omnia concidunt quando tu post Ideæ diuinæ descriptionem progrederis, ad primæ illius massæ secretionem, qua Lectorem in Dei Creatoris & primæ materiæ cum suis innatis formis & qualitatibus diuina eaque incredibili potentia primitus &, ex nihilo creatæ, adducis. Quæ 15. capite tuæ huius meditationis de ligno vitæ consignasti (in quo mei honorificam facis mentionem, mihiq; plus amice tribuis quam in me agnosco) ea legi & relegi aliquoties diligenter, quando enim illa planè Philosophica & Medica sunt, mirum quantum istis afficiar. Inter cætera ostendis & bruta animantia suæ naturæ ex herbis subsidium quærere, quod Hyrundinis, Cati, Bubonis, Canis exemplis demonstras, licebit pluribus ostendere, quando quidem ipsa natura docta plurimarum herbarum vires cognitas mortalibus indicarunt. Etenim Ceruos credimus Dictamum herbam, quod eius pastu telum eiecissent sagittarum vulneribus mederi ostendisse: Sic Ceruas Seseli herbam demonstrasse arbitramur: Testitudines, Cunilam: Mustelæ Rutam: Ciconiæ Origanum: Accipitres Hieracium: Columbæ Verbenacam; vt non minus hæ postremæ ab ipsis animalibus, quam Chelidonium ab Hirundine, nomina adepta sint. In Aegyptiorum hieroglyphicis Pica pingitur lauri folium ore tenens, quo designant hominem sibi ipsi medentem. Etenim Pica ægrotans, natura docta, dicitur lauri folia in nidum congerere, quo illis morbos arceat. Vt antiquitas Apollini, quem Medicinæ inuentorem, dicente etiam Nasone, constituunt, haud immerito Laurum sacram fecerint dicarintq;. Parietaria, quæ à Perdicibus Perdicium quoq; dicitur, quando Perdices in ijs locis, vbi illa copiosè prouenit, vt plurimum se volutant atque oblectent: Feniculum nobilitasse credimus Serpentes: nam gustatu atque esu ipsius senectam exuere, oculorumque aciem succo eius reficere scimus, vnde ipsius vsus nobis patefactus: Tu eodem in capite addis, tales plantarum species in quaque regione à Deo creari, quales hominibus, & animalibus ibidem natis, maxime conueniant. Quod viuus testis multis documentis monstrare possem. Imo tam consideranter hoc nixus comperimento, sæpe numero probaui, ex plantarum nascentium frequentia, me fere animaduertere posse, quibus morbis popularibus nimirum ἐνδημιώτατον quælibet regio subiecta est. Obseruamus hoc ipsum apud Danos, Phrysios, Hollandos, quibus Scorbutus dictus morbus frequens, istius quasi proprium medicamentũ Cochlearium scilicet copiosè prouenire. Ita vbi, in paludosis locis Tamariscus natale solum agnoscit, plerumque Lienis ibidem vitijs expositi sint incolæ, quod ex lurido colore, qui intumescente cute illis efflorescit, hypochondrijsq; inflatis videre licet. Eodem modo obseruamus, quibus in pagis circa sepes in areis frequens Absynthium luxuriat (in isdem habitatores naturalium viscerum obstructionibus, ventriculi infirmitate suffusione bilis plurimum affectos, vt facile nisi prædictę herbæ vsu, viscerum meatus reserantur, extersaq; bile eadem roborentur firmenturque, in Icterum primum, paulo post ita quam intercutem exorbitent. Longius progrederer, si istorum catalogum contexere velim. Quæ eodem in capite de insitione proponis, exquisita consideratione digna sunt. Nam quod obseruasti cortices stemmatum, surculorum verticibus primum & potissimum vniri, id quotidiano vsu atq; experienria comprobatur: Hinc est quod de stemmate inserendo quam tum relinquatur parum soliciti simus dummodo cortex purgatus scissusq; cortici ita aptetur, vt fibris sese contingat. Insitionis diuersi modi sunt quæ fit scisso trunco, in ea non minus obseruari debet ista corticum adæquatio, quam quæ fit, Infoliatione, quando nimirum inter truncum & corticem surculus inseritur, imo in Infoliatione (quam alij Emplastrationem vocant) id ipsum obseruandum est: Atq; hic diligenter notandum etiamsi Columella statuat, omnem surculum omni arbori inseri posse. Ego tamen communi sententiæ hoc tribuo, quod aptissima insitio perficiatur, vbi istarum arborum cortices inter se ita vniantur, vt inter surculum inserendum & truncum cui inseri debet, ista cognatio sit, vt cortices inserendi surculi & cortici stemmatis admissarij eiusdem qualitatis, quod superficiem attinet, præferat. Sed de modo & qualitate insitionis, vbi ad te venero, quod breui fiet: tum de animalibus medicis (sic enim voco animalia quæ herbarũ vires natura monstrante docuerunt) conferemus exactius de ijs enim sæpe & multum cogito, quod facile intelliges, ex eo commentario quem de Climactericis meo conscripsi. Nam vt ex herbarum foliis, floribus, earum scilicet tum etiam seminis figura ex trunco & stipite ex succi qualitate & id genus alijs haud difficile coniectari, sed docte licebit, quibus morbis, quarumq; partium affectibus herba quælibet conueniat. Quapropter hac vice latius nõ progredior, in nostrum conuentum ea dilaturus. Interea tu, vt valetudinem tuam cures, te hortor, quod eo quo præscripsi modo: haud magno negotio facies, & me vicissim ama. Raptim Dusseldorpij ex aulicis negotijs, Calendis Iulij. Anno. 1594. stilo veteri.

Tuus Reinhardus Solenander Medicus.

Hanc egregiam & opere dignam augmentationem huic nostro loco differemus. capite 13.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 12 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

Prudentissime humanissimeq; Solenander, Legi Doctissimi viri Gerardi Mercatoris librum de Fabrica mundi non minus verè quam doctè scriptum. Et dici non potest quantopere me istius scripti lectio affecerit. Video hactenus tam Ethnicos quàm Christianos vera physices Elementa & principia ignorasse, nihil certe iucundius, quam euidentissimis rationibus ac demonstrationibus, auidum Lectorem & veritatis cupidum, in Dei Creatoris, & primæ materiæ, cum suis innatis formis & qualitatibus, Diuina potentia primitus & ex nihilo creatæ, penitiorem cognitionem adduci. Pulchre igitur post Ideæ diuinæ descriptionem progreditur ad primæ illius massæ & materiæ secretionem demonstrandam. Nam ostendit flatu & vehemẽtiore vento aqueam & limosam illam materiam secretam fuisse, ita vt grauia ad centrum in vacuo constitutum vltro declinarent: Nimirũ terram etiam dum fluxilem, punctum siue centrum sphericæ figura, per æquilibrium circumdedisse, & ventorum flatibus in siccitatem & duritiem paulatim fuisse redactam. Deniq; ex illa commotione aqueæ materiæ, subtiliores humores in aërem conuerti & formari cæperunt; & deinceps ex aëre ætherea regio cum cœlestibus sphæris & stellis adornari cœpit, ita vt aquas illas supra cœlestes & Empyrium cœlum constituentes, lucidissimas faciat & angelos ex ijs creatos esse statuat. Hæc omnia sunt Dei Verbo & rationi minime dissentanea. Licet Aristoteles octauo φυσικῆς ἀκροάσεως mundum contendat æternum esse, Quem Picus, Comes Mirandulanus, & Paulus à Schala, & Palingenius in Zodiaco pro viribus tuentur. Sed præstat Dei verbo adhærere, quam incertis opinionibus fluctuare. Non posse sane quicquam iucundius suauiusq; dici, quam cœlos, angelos & stellas, aërẽ, aquas & terram, & quicquid in ijs continetur, ad solius hominis vsum esse creata vt ei inseruiant. Quum istorum omnium origo ex vna eademq; massa desumpta fuerit, ex qua & homo, sequitur rem inter se, & erga hominem esse. Ego certè dicam libere quid mihi inter legendum acciderit, magno desiderio & ardore inflammari cæpi, erga omnes res à Deo conditas (solis diabolis exceptis) vt pote mihi cognatas & ab optimo Deo in meos vsus creatas. Hinc permoueor ad gratitudinem Deo assiduè præstandam, quæ augetur & perficitur Christi cognitione. Illud certe solertis & sagacis ingenij iudiciũ est, quod ex aquarum à terra separatione & mediæ terræ cauitatibus incluſarum, idq; vndiq; ex æquilibrio, ne centrum ponderis in æqualitate grauetur; inde concludit & probat alteram terræ partem infra nostrum horizontem ex aquis eminentem, nostræ Europæ, Africæ & Asiæ correspondere. Quanta prudentia differit de characterismis herbarum, in quo loco & tui honorificam mentionem facit. In summa agnosco illum doctissimum esse virum, & omnium Illustrissimorum Principum fauore & amore dignissimum. In vltimis duobus capitibus verum Theologum agit de originis peccato disputans; atqui non singulis theologis per omnia satisfaciet. Statuit enim animã extraduce propagari, & non diuinitus infundi in recens creati pueruli corpus. De qua re Augustinus & Hieronymus, prolixissimis & elegantissimis epistolis disseruerunt: sed Augustinis in nostri authoris sententiam magis inclinat. In hebreorum quorundam vocabulorum ethymis explicandis Eugibinum sequens, non nihil videtur à vero aberrare. Nam terræ nomen Eretz, quod nomen & Germani ab Adamo retinuerunt Erdt, non à Razar, quod conculcare significat, sed à Raza, quod appetere & velle significat, eo quod terra desideret & appetat herbas & fruges, aliasq; res sibi à Deo mandatas proferre. Sed de his plura maiore otio. Amanter rogo vt Doctissimum virum ad editionem maturandam horteris. Profecto physica ars manca erit, sine huius auctoris accessione. Vale.

Tui amantissimus

Iacobus Sinstedius. D.

IN ATLANTEM
Gerardi Mercatoris Aui sui.

En tibi lector adest Atlas rediuiuus & ingens
Aspice grandæui signa vetusta senis.
Gentis Maurorum rex seruantissimus æqui,
Arg, Mathematica clarus ab arte fuit.
Seu genus antiquum, seu robur & ardua sæcles
Falla virisimilem tempora nulla dabunt.
Ex hoc tot reges genuit virtute potentes,
Crederet vt veros turba prophana deos.
Hic ille, vt perhibent, stellis ardentibus aptum
Axem humero torsit qui geminumq; polum.
Dicitur Alcides onus hoc subisse, quod Atlas
Artibus ingenuis iustitiisset eum.
Et quia summorum virtus imitanda virorum est,
Hunc Auus exemplo credidit esse sibi.
Ille feras gentes domuit, moderamine nostro
Affectus æqua rexit & ingenium.
Atlantem fecit præclarum docta Mathesis,
4. Mercatoris marte Mathesis adest.
Et simul his methodum præscribit & ordine ponit
Quæ sub mensuram singula quæq, cadunt.
Qui quoq, cunctarum referens primordia rerum,
His adhibet quam dant Bibliasacra fidem.
Ordine seruato commonstrat singula, laus est
Prima Creatoris, deinde creata locat.
Astrorum voluit posthæc ostendere motus,
Et Planetarum quo vaga turba ruat.
Quin etiam voluit stellarum pandere vires,
Quatenus & radijs inferiora doment.
Hinc Elementorum voluit perquirere causas,
Ex quibus hæc mundi machina structa viget.
Adde Geographiæ veterisq, nouæq, tabellas,
Quas nastum voluit claudere scriptor opus.
Sed grauis impedit morbus, simul ipsa senectus,
Et mors postremum multa negauit ei.
Quod potuit fecit, commendat cætera doctis,
Vt patriæ & famæ consuluisse velint.

Iohannes Mercator scripsit.

PRAEFATIO
in
Atlantem.

Atlas rex Mauritaniæ & regio stemmate natus, patrem habuit Terrenum siue indigenam, iuxta Eusebij ex antiquissimis historicis testimonium, qui fuit Cælus cognominatus, & matrem Titeam, cognomine Terram, auum paternum simulq, maternum Ilium siue Solem regem Phœniciæ, qui cum vxore Beruth in Biblo habitabat ambos insigniter in Astronomia & naturalibus disciplinis versatos, ita vt eruditionis gratia Solis & Cæli nominibus digni haberentur. Et quidem Atlas, vt citant veteres, Diodorus lib. 4. cap 5. astrologus fuit peritissimus, deq; sphæra primus inter homines disputauit. Fratres habuit multos, quos Cælus ex diuersis vxoribus genuit vsq; ad 45. quorum 17. ex Titea prudentissima, & hominibus multum benefica fœmina habuit, quos communi nomine à matre Titanes appellauit; Sorores quoq; habuit, inter quas præcipuæ fuerunt Basilia, quæ fatres omnes suos in gratiam matris educauit, propterea q; magnam aiunt matrem appellatam, & Rhea quam Pandoram dixerunt. Basilia autem cum Cælus obijsset, vt prior annis, prudentiaq; & virtute reliquis præstantior, communi fratrum & populorũ consensu regnum nacta est adhuc virgo, cum nulli antea nupsisset. Postmodum cupiens regni hæredem relinquere, fratri Hyperioni nupsit, ex quo duos peperit liberos, Solem & Lunam, quorum prudentiam admirati Hyperionis fratres, ne ipsius posteris regnum confirmaretur, ipsum obtruncârunt, & Solem adhuc puerum in flumine Eridano suffocârunt. Tum Cæli filij, quorum nobiliores Atlas & Saturnus erant, inter se partiti sunt regna patris, Atlanti loca iuxta Oceanum, & Lybiam vsq; & fretum Gaditanum contigerunt, vbi mons Atlas & gentes Atlantes ab eo dictæ sunt in Mauritania. Saturno vero Sicilia ac Libya obuenerunt, qui & postea exosus à suis ob tyrannidem in patrem Cælum commissam, fugit in Italiã, ibi à Iano particeps regni factus. Quia autem Diodorus citat, primum apud Atlantes regnasse Cælum, homines q; antea per agros dispersos ad cœtum condendasq; vrbes ab eo exhortatos esse, certum est, antiquissimos hos reges esse, fuit enim Atlantis filius Atlas, pulso fratre Hespero, rex Iberiæ, quæ post Hispania est dicta, anno post diluuiũ vniuersale 738., Hespero in Etruriam fugiente, vbi factus est Iani tutor. Auus Atlantis Elius in Phœnicia regnabat anno à diluuio 662. Et testatur Diodorus hos reges insignem prudentiam ex natura rerum & contemplatione nactos, simul & humanitati ac pietati assuefactos esse, vt merito dicat Diodorus, Atlantides tum pietatis, tum erga aduenas humanitatis præ cæteris gentibus laudem tulisse, quando vix 22. aut 23. generatione completa, multæ continentis partes hominibus adhuc vacuæ erant. Habuit Atlas plures filios, sed vnum pietate ac in subditos iustitia humanitateq; insignem, quem Hesperum appellauit, qui cum in Atlantis cacumen ad scrutandos astrorum cursus ascendisset, subito à ventis correptus, nequaquam amplius visus est. Sic Diodorus; sed ego vt dixi regem in Iberia fuisse inuenio, adeoq; ventis secundis in eam traiecisse, vbi ita prudenter & piè vixit, vt cum à fratre in Etruriam fugisset, ob insignem sapientiam & prudentiam, in Iani tutorem & regni administratorem sit constitutus, quæ munia frater eius Atlas post Hesperi mortem suscepit. Hunc Atlantem tam insignem eruditione, humanitate ac sapientia virum mihi imitandum proposui, quo ad ingenium & vires suppetunt, Cosmographiam veluti ex alta animi specula contemplaturus, si forte aliquid veritatis in rebus nondum percognitis rimari possim, quod ad sapientiæ studia conferas. Et vt Cosmus omnium rerum numerum, species, ordinem, harmoniam, proportionem, virtutes & effectus continet, ita à creatione incipiens, partes eius omnes, quatenus methodica ratio postulat, iuxta creationis ordinem enumerabo, & physicè contemplabor, quò causæ rerum innotescant, ex quibus scientia constat, ex scientia, sapientia, quæ ad bonos omnia fines dirigit, ex sapientia prouidentia quæ finibus facilem viam præstruit: hic erit mihi scopus omnium, deinde de suo ordine tractabo cælestia, mox astromantica, quæ ad diuinationes ex astris pertinent, quarto elementaria, denig geographica, sic totum mundum tanquam in speculo proponam, vt ad inuenienda rerum causas, sapientiam & prudentiam assequendam, sint aliqualia rudimenta, & lectorem ad altiores speculationes ducere possint.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 13 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

STEMMA ATLANTIS

Ex Pusebij præparatione Euangelica lib. 1. cap. 7. quod ille annotauit ex Sachoniatone Phœnice historico, à Philone Biblio ad verbum verso. Et partim ex Diodoro Siculo.



DE MVNDI CREATIONE Ac FABRICA Liber.

Prolegomenon Fabricæ mundi Caput primum.

Intentio totius Cosmographiæ.

AXIOMA est omni menti opificium huius mundanæ machinæ aliquomodo inspicienti, Deum ipsius autorem immensæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis esse, ac de potentia quidem dubitare est impossibile, ei qui ex nihilo conditum, non æternam eius materiam crediderit. De sapientia vero & bonitate si cui nondum plene apparet, necdum considerato ornatu & laudatissima, exquisitissima, sapientissimaque dispositione fabricæ, is nobiscum eam perscrutetur, donec ipsamet operis vndequaque (quatenus ex ipso Dei verbo, & manifesta rerum experientia licet) perspecti contemplatio persuadeat. Id enim molimur, dum Cosmographiam tradimus, vt ex mirabili omnium rerum in vnum Dei finem concordia, & ex inperscrutabili in compositione prouidentia, infinita Dei sapientia, & inexhausta eius bonitas conspiciantur, quo ad venerandã eius maiestatem, colendam amplexandamq; eius diuitem bonitatem, perpetuo feramur. Affulgeat lux eius intellectu nostro, & mentem ad veram hanc sapientiam dirigat. Itaque immensa illa Dei bonitas suam intra se gloriam, præ nimia exuberantis fœcunditatis parturitione, continere non poteris, hominem voluit creare, cui suam gloriam communicaret, quem cum sua sapientia corpore amiciendum, qualem videmus & prima eius creatio exhibet, conciperet, mundum hunc quem contemplandum suscepimus, & partes eius ad hominis sic constituti vsum necessarias, in eum quem videbimus ordinem, naturam & proportionem, iuxta ideam eius ab æterno conceptam, per omnipotentiam suam condidit atque digessit. Primus igitur finis operum Dei, primaque intentio est, communicare gloriam suam, proxima hominis creatio, tertia reliqui mundi dispositio, postremus hic intentionis scopus initiũ fuit operis, à cuius primo exordio mundi descriptionem auspicari oportet eum, qui vtiliter ipsam ad philosophiam extendere volet.

Solent curiosi homines interrogare, quid fecerit Deus antequam mundum conderet, quomodo & vbi tum erat, cum nullus esset locus ac tempus, cur non multis seculis prius orbem condiderit, cur hominem non ita perfecerit vt labi nequiret. Huiusmodi temerarijs parumque argutis quæstionibus facile respondebit, qui æternæ Triadis cognitionem (quanta ex sacris literis & opificio ipsius acquiri potest) habuerit, ac temporis & loci veras definitiones collegerit. Veruntamen non est digna talium hominum insulsa & irreligiosa proteruia, cui respondeatur; religio enim est de occultis Dei iudicijs & consilijs, quæ ad abditam eius & inscrutabilem sapientiam & maiestatem pertinent inuestigare latius, quã nobis verbo suo dignatus est reuelare, & de ijs quæ extra & ante mundum, quæque supra hominum sunt captum disputare, summa temeritas est & stultitia, cum enim opiniones tantum, nõ scientias gignant, non possunt sapientiam adferre, sed citius exoticas doctrinas, quæ veritatem rerũ labefactant, inducere. Quamobrem satis sit nobis, à rebus aut sensu, aut certa historia notis, rerum verarum scientiam petere, nõ opinabilium, quorũ non est scientia, sic enim non aberrabimus, si modo iusto ordine progrediamur.

Prolegomenon Fabricæ mundi Caput secundum.

De Deo omnium principio & effectore secundum Platonicos.

PVlcherrime Platonici ex communione specierum, quæ in rebus perspicitur, & ordine earum ad Vnum ipsum primum omnium principium ascenderunt, hoc est (vt Pauli filium sequamur) e ordinatissima rerum omnium dispositione & harmonia prouidentiam aliquam circa res ipsas existere vtcunq; perspicientes, dum eas alicuius opera esse intelligerent, ac proinde ad creationem earundem meditandam atque asserendam pertraherentur, eò peruenerunt. Verum cum ab Vno illo ad opera ipsa descendere vellent, in modo & ordine creationis hallucinati sunt. Primum quod ponant, intellectum siue mentem mundi fabricatorem, extra ipsum Vnum, & plane ab hoc distinctum atq; aliud. Deinde quod materiam, cum ipsam simpliciter ab omni forma separent, intelligant nullius Ideæ progeniẽ esse

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 14 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

Ideæ enim species sunt siue formæ, quæ non nisi formas generare possunt, ac proinde increatam quoq; ipsam & æternam necessario intelligant. Hic error inde natus est, quod materiam susceptibilem tantum formarum crediderunt, ac nullam cum formis naturæ communionem habere, ideoque in ipsa formarum semina esse, & ex potentia eius per opificem posse educi, ne per somnium quidem semel cogitarunt, vnde & perpetuum aliquod formale principium extra materiam constituere coacti sunt. Idem & extra Vnum, diuersumque ab illo constituere hac ratione inducti sunt, quod cum Vnum illud & primum omnium principium, nimis ad viuum ab omni entis natura & conditione resecarent ac spoliarent, perperam metuentes ne compositum quid illud faciant, aliud extra Vnum quæsiuerunt rerum principium, ab vno quidem genitum, sed distinctum tamen essentia, & naturæ proprietate à quo solo tandem patre primum & immediate rerum formatrix virtus, & exemplar opificij mundani esset ac deperderet, cuius doctrinæ vestigia insequutus Valentinus alia insuper deliramenta addidit, etiam modum commentus quo Vnum, quod Proarchen & Bythum vocat ad generationem Mentis processerit, & per intermedias deinceps generationes, aliquot tandem ad materiæ & rerum omnium creationem deduxerit, nec non prodigiosam Pythagoræ philosophiam intermiscens, quem sequuti discipuli nihilo fanius docuerunt, vbique plus quam Anilibus fabulis veritatem conspurcantes & obscurantes. Sed cum horum insania sua fatuitate exhibiturus, ad Platonicorum potius theologiam & mundi originem respiciendum est, quæ, quod præ omnium gentilium philosophia diuina sit, & maxime ad veritatem Mosaicæ traditionis accedere videatur, facilius abducere à recta & sacra philosophia potest. Quapropter eius summam breuissime proponentes, veram rei ex adytis scripturæ & naturæ narrationem opponemus, hanc rationibus consequenter confirmaturi, illâ verò erronea est, reprobaturi, ne sub specie sacratioris theologiæ, per inanem philosophiam ad latentē falsitatem fascinentur oculi intellectus nostri, & à veritate rerum abducamur, simul quoque vt innotescat omnibus nullam fuisse vnquam tam sanctam apud ethnicos scolam, nullum tam ardens studium, nulla adeo præclara ingenia, quæ ipsam veritatem rerum sua industria assequi potuerint, postquam qui religiosissimi omnium fuerunt Platonici, & ipsi longe aberrarunt, & cæteris longissime aberrandi materiam dederunt, ac proinde gratias agamus vni soli Deo, qui & principium, & creator, & animator, & conseruator, & finis opificij mundani est, quod mundi veram fabricam, principium & fontem vniuersæ philosophiæ ac veritatis, nobis dignatus sit per Mosen & Prophetas alios reuelare.

Vnum siue Bonū.

Itaque Platonicorum theologiæ hæc summa est, Vnum, Mentem, & Animam, quæ in fabulis nominantur Cœlum, Saturnus, Iuppiter, tria in diuinis ponunt principia, ordine se inuicem consequentia. Primum omnium, quod ipsis est Deus primus & summus, Vnum vocant, propter simplicissimam simplicitatem, & Bonum, propter exuberantissimā fœcunditatem ad generationem, & sui communicationem procliuem. Hoc scribunt nec ens esse, nec essentiam, nec intellectum, nec bonum adiectiuè, nec intelligere ne seipsum quidem, nec viuere, nec moueri, sed super omnia hæc esse, hoc est fontem & principium esse entis & essentiæ, intellectus & intelligentiæ, vitæ ac motus, & omnium quæ præter ipsum primum omnium & supremum principium cogitari possunt. Rursum nihil in se habere, & diuersum esse ab omnibus, in seipso consistere nec misceri sequentibus, adesse tamen omnibus, & omnia ab illo contineri, similiter vbique esse, & tamen nusquam, hoc est nullius loci indigum esse, nec etiam intrinsecus neque extrinsecus, finitum siue determinatum esse, esse autem omnium potestatem, & quidem omnium potentiarum potestatem maximam, non tamen omnia esse, sed super omnia.

Mens.

Hoc Vnum siue Bonum sua exuberantia parturiens, non cogitatione ad hoc annuente, neq; consilio aliquo, neque voluntate decernente, neque vllo pacto motum, sed manens in habitu proprio, ex ipsa sibi insita perfectione, comitante intrinsecus actu potentiali, siue efficaci potestate, radium creat & effundit eo fere modo, quo sol idem & immotus manens lumen circumfundit, qui radius quatenus ex illo manente statim hoc existit, ens efficitur, quatenus vero naturaliter ad suum parentem conuertitur & quasi mouetur fit viuens, vnde corroboratus & potestate impletus ac perfectus ex eadē per semet diffecit intelligentia, & fit Mens, & Intellectus, tum patrem suum ipsum respiciendo, tum se in se conuersus, intelligens. Quia porro dum sese inspicit potestatis suæ conscius, quantum illa valeat, in qua ni mirum vigeat virtus essentiarum omnium genitrix, ipse sibi essentiam suam hactenus indefinitam atque indeterminatam definit, ac veluti explicat, non aciem intendendo, aut cogitatu discurrendo, quasi quiquærat quod nondum habet, aut scire studeat quod ipsum latet, sed vnico vigilique perpetuo sue intelligentiæ actu, actu inquam suæ essentiæ intimo, potestat em suam semper in spiciendo, & quæ sine adhibita intelligentia latuissent determinatè cognoscendo, sic inquam Ideas siue species omnium rerū formatrices, quas intelligibiles vocant Deos, intelligendo concipit, ac quodammodo gignit, distinctas quidem formali ratione, sed essentia adhuc easdem, & veluti multa vnum existentes, non inquam vnū & multa, sed vnum multa, vt vult Parmenides, propter minus numerosam vnitatem in mente, quam quæ est in anima, atque vt intellectus est plenus potestare vna ab Vno accepta, ita pariter plenus Idearum siue formarum omnium, vnum cum illis idemque manet, omnia in hoc entia existens, eaque vera, quia immutabilia & æterna, quæ protinus vt à se & in se genita sunt, tanquam Saturnus quidam absorber nec sinit apud Rheam enutriri, hoc est non sinit in materiam & naturam rerum caducarum labi, sed in se omnia indissolubiliter, & impartibiliter complectitur & seruat, & in vno quodam omnia possidet, omnibus etiam & vbique præsens, non tamen in illis, sed illa, in ipso sunt, vt ab eo dependentia & in eo consistentia. Et cum sit Intellectus vnum multa, hoc est vnum quidem existens in se toto, & in essentiæ identitate, siue vnitate impartibile, at secundum partes semper simul & intro manentes, alteritate tantum

tum quadam in seipso distinctus, non est circa sequentia entia partibilis, sed perpetuo secum manens veluti & Vnum in sequentia non distribuitur. Non enim secundum alteritatem illam suam internam in multa distinctim effunditur, sed vnum tantum secundum rationes seminales, iam actu & essentialiter simul multa existens, procreat, Animam videlicet, de qua mox dicemus. Hunc Intellectum vocant. Magnum Deum, & secundum Deum, quinetiam non aliquem, sed omnem Deum, à quo videlicet vt primo & omni ente solo, immediate omnia entia, ac proinde omnes Dei essentiam suam sorti antur. Vocant & verbum Dei, & actum productum ipsius Boni & item imaginem Dei, quod genitoris bonitatem prægnante vbertate & gignendi propensione pro viribus imitetur, quas vires cum à genitore accipiat, vsque adeo illi cohæret, vt alteritate quadam solum videatur ab eo discretus. Et Plato Ideam quoq; vocat, quod exemplar vnamque indiuisam omnium speciem in sua essentia comprehendat. Vocat & causam & mundi artificem, quod primum ens factus, omnium deinceps entium parens sit.

Anima.

Huius Mentis progenies est Anima mundi, tertius Deus, non aliter inde egressus quam illa ex Vno, est enim ipsa Mentis verbum, est lumen Mente mundi fabricatore effusum, est actus & quidem tota extra productus & vita viuificans inferiora, quemadmodum intellectus hanc viuificat, ipse ad Vnum conuersione viuificatus; & quemadmodum Ens ad genitorem suum respiciens, Intellectus euadit, ita & Anima Mentem intuens, Ratio fit ipsius Intellectus, lumen atque vestigium, semper inde dependens, & inde quidem illi coniuncta, inde vero inferiora comprehendens, vnum & multa simul existens secundum Parmenidem: Vnum quidem, quia sub vna communi essentia intellectuali rationes omnium formarum suscipit, atque impletur, dum in patrem Intellectum respicit: & simul quoque multa, quia dum in se conuertitur, rationes seminales omnium formarum singulatim concipit, & ordine enumerat, ac præ nimia fœcunditate parturiendo, intus incalescens ipsas animat, ijsque ad generandas in Materia formas, videlicet ad creandum sensum in animalibus, naturam vegetatricem in plantis, motum in cælestibus corporibus, & quicquid præterea est, quod ad ordinem, speciem, naturam, proportionem, & motum rerum pertinet, motus initiū præstat. Itaque sic in sua essentia constituta anima, cum vt Vnum & Intellectus, ipsa quoque vbique sit, & in omnibus adsit, non potest non singula in hoc mundo visibili ordinare, disponere, vegetare, animare, & vnumquodque ad proprium suum esse & formam, veluti incubando perducere; verum non vt Mens in se manet impartibilis, sed egreditur quodammodo ad singula corpora, illisque alio quolibet loco aliter insinuatur, videlicet secundum cuiusque Speciei rationem, non quidem in partes à se mutuo diuisas distributa. Tota enim & secundū substantiam essentiamque pariter omnem indiuisa, vbique & in singula simul est, sed per seminales & specificas rationes, quæ multæ & variæ sunt, alibi aliter suas vires exercendo operatur, & sui simulachra, videlicet species in rebus facit. Quare tametsi in sua essentia, vna & simul multa sit, & per huiusmodi seminalium & specificarum rationum diuersum influxum fiat diuisibilis, non tamen propria ad diuisionem necessitate hoc fit, vt quæ tota secum perpetuo manet, sed quia corpora diuisibilitate propria indiuisibiliter eam accipere nequeunt, vt partitio hæc corporum non Animæ passio sit, ac necessitas.

Hæc tria in diuinis principia, hoc quo narraui modo Platonici describunt, ac primùm quidem eorum non concedunt, aut actum esse alicuius (vt neque debet) aut aliquam actionem habere, esse tamen potentiale, id est actus proferendi potestatem, retenta Vnius simplicitate concedunt. Intellectum autem actum esse ab vno emanantem. Animam quoque actum ipsius intellectus, & vtrumlibet horum differentē ab illo à quo effluxit. Maius item ac melius esse quod gignit, illo quod à se gignitur, idéoque Intellectum minorem ac deteriorem Vno esse, meliorem autem ac Maiorem Anima, & similiter Animam speciebus à se productis. Hæc fere sententia est vniuersæ Platonicorum theologiæ, cui hanc sequentem veriorem opponimus.

Prolegomenon Fabricæ mundi Caput tertium.

Vera de Deo eiusq; Trinitate, ex scripturæ adytis confessio.

VNum nobis Deum, sub tribus hypostasibus distinctis, at non à se mutuo diuisis & separatis, proponit verbum Dei, quarum quælibet suas habet proprietates, quibus à reliquis distinguitur. Sunt autem Pater, Logos siue Filius, & Spiritus sanctus, ideo vnum existentes, non quia vnius sunt essentiæ, vt homo homini, sed quia vna numero sunt essentia, quippe cum à se mutuo sint inseparabiles, totaq; essentia Patris latens, velut æterna generatione in Logon eradiet, ita vt Logos sit lucidus character & expressa Patris essentia, eademque essentia à Patre per Logon in vniuersum mundum splendeat, qui splendor Spiritus sanctus existit, vna est omnium trium deitas, omniporentia, virtus, sapientia, bonitas voluntas, nec modo tria vllo modo dici possint, quum vna numero sit omnium vis & potestas, & actio, vt Logos ipse nos docet Iohan. 17. sic Patrem alloquens: Mea omnia tua sunt, & tua mea. Item Pater in me manens ipse facit opera. Iohan. 14. & Ioh. 5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Per Spiritum sanctum quoque Patrem & Logon omnia operari passim in scripturis sanctis patet. Et Sap. 1. dicitur Spiritus sanctus orbem terrarū repleuisse, ita vt omnium triū sit vna communis operatio, sed secundū personalem proprietatem, aliter à Patre, aliter, à Filio, aliter à Spiritu sancto procedens. Itaque non tres Deos, neque tria rerum principia ponimus, quemadmodū Plato, sed vnum indi-

 uisum

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 15 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

uisum, secundum se totum vbiq; præsens, ex quo per quod, & in quod creata sunt omnia, existens quidem sub triplici ratione, sed in identitate essentiæ, distinctum quidem in tres subsistentias siue personas, sed neque essentia differentes, & à se mutuo diuisas, neque consequenter ordine minores aut deteriores, vt Platonici volunt, sed per omnia æquales diuinitate, æternitate, potentia & efficacia, quarum singularũ essentiæ proprietas, non magis nec minus vnius, quam alterius, sed æquè omnium ad cuiusuis rei creationem necessaria est. In omni enim opere faciendo, tria hæc operanti requiruntur, potentia siue principium actus interni, actus internus siue operis conceptio & dispositio, & actus egrediens. Quemadmodum in igne principium caloris est natura siue forma ignis, actus illius est calor internus. Actio siue egrediens actus est calor inde emanens. Et in anima est principium & potentia motiua, est dispositio siue voluntas ad mouendum, est denique motus ipse.

Quoniam vero neque fortuitò neque per ignorantiam modum tentando & inquirendo, neque insipienter Deus hunc mundum condidit, sed summa prudentia & sapientia, negari non potest ipsum ab æterno exemplar quoddam determinatum futuri mundi, & ideas operum singulas concepisse, verum non in Logo eas inchoamus, vt Plato, sed in Logi parente, cum omnia quæ habet filius à Patre habeat, quamobrem in Patre velut seminariam rationem mundi ponimus, in filio vegetantem vim, in Spiritu sancto vim productricem & anima tricem, quæ cum illo ex Patre procedens, & per Filium effusa in opus progreditur. Igitur Spiritus in Deo exuberans omnipotentem inexhaustamque venam Patris exuscitat, & immensam fœcunditatem Filij, veluti ad germinandum prouocat, atque per eius Spiritus viuificam spirationem Pater mundum seminali ratione & modo concipit, conceptum Logo tradit vtpote qui Patrem ad amussim exprimit, ex filio iam actu producitur mundus, non producitur autem nisi mediante Spiritu tanquam vehiculo, per quod mundus in partes suas diffunditur, & in singulis iuxta propriam cuiusque ideam animatur, comitatur item Spiritus opificium per omnia semper, vt quod ipsius impræg nante actiuitate conceptũ & viuifica motione formatum, eadem etiam conseruari debet, non autem sic comitatur singula vt in partes diuidatur, sed eo modo indiuisibiliter, quò recte Platonici animam mundi singulis adesse pronunciant. Neque etiam pars eorum fit, vt propria eiusque anima aut forma euadat, sed totus secum & per omnia manens, præsens, & ab omnibus diuersus ac separatus, omnia semel ex potentia Patris per Actum Filij in suam quæque essentiam & speciem format ex materiæ essentia gradatim perficiendo, iuxta exemplaris rationem, & omnia deinceps iuxta legem à Patre conceptam struat.

FABRICÆ MVNDI

Caput primum.

De sapientia Creatoris.

COSMOgraphiam tandem benevole Lector aggressurus, vt tam diuinam & grauem speculationem decer, omnes animi vires impendere necessarium fuit, vt rerum creatarum omnium species & ordinem ob oculos ponerem, quo ad contemplationem vniuersi & sapientiam fabricæ mundi lectorem adducerem. Scriptum est enim psalmo 103. & 24. Omnia in sapientia fecisti. Est autem sapientia, causas & fines rerum cognoscere, quæ nusquam melius quam ex mundi fabrica ordinatissima, & secundum causas ordine annotatas à sapientissimo architecto deducta, cognosci potest. Vt enim creando naturam singulis indidit, ita eriam mox iniunctum officium præstiterunt, & ad consummationem rerum vsque præstabunt. Quapropter nihil satius est, quam eius opificium, prout ab ipso autore factum est, & dictante Spiritu sancto à Mose fideli in toto eius domo scriptum est, peruestigare & rimari omnibus ingenij viribus. Neque enim hic facile errabimus in causis rerum assignandis, cum naturæ leges primas & præcipuas vulgo notas contemplabimur, & similes inde effectus deducemus. Sic nihil certius est, quam grauia omnia deorsum ferri, leuia sursum, nullum motum in rectum infinitum esse. Ex crasso quod subtilius est, euaporare, vnde in centrum colligi grauia, mundum sphæricum esse, & omnium partium eius ordinem, & subtilitatis ac nobilitatis differentiam colligimus. Ex ordine rerum & causis finibusque demonstratis, Philosophorum veterum errores circa principia rerum & circa naturas facile deprehendemus & conuincemus, vt veritas inconcussa stabiliatur in hominum animis, & non amplius fluctuent opinionum veritate, & ambiguis rationibus quoquo modo persuasibilibus seducantur. Sic mira panduntur in cælestium corporum situ & natura, quæ hactenus non satis inquisita nec explorata fuerunt. Sic multa in elementis hactenus desiderantur, quæ diligenti studio & arte à doctis viris indagari possent, adhibita ad mundi fabricam doctorum virorum per diuersa regna sparsorum, obseruatione & obseruandorum lege. Sic de incremento, decremento, & fluxu maris admirando, & causis eorum aliquid tandem certi indagaretur. Sic de nauigandi arte, in qua adhuc quædam non exigua desiderantur, latius inquireretur. Sic tandem vniuersa geographia, magno Principum & totius orbis commodo absolueretur, quæ vsque adeo est necessaria, vt neque mercatores ad nobilissimas ditissimasque regiones accessum habeant, vt cum gentibus vndiq; contractent, & Christianis omnes terras familiares faciant, neque Principes de suis ditionibus aliquid certi & solidi statuere possint, nisi operose & parũ fidelibus subinde ministris, quia desunt tabulæ, oculati totius ditionis & situum testes. Ego ante annos aliquot huius operis initium feci à regionibus in nostra hac parte desideratissimis, quibus nunc Septentrionalium ac

am ac Sarmaticarum tabularum primum nostræ Geographiæ tomum præpono, eo proposito, vt totum tandem orbem per tomos describendo absoluam, quod (Domino vitam & sanitatem tribuente) pro viribus conabor.

FABRICÆ MVNDI

Caput secundum.

De principio creationis & de creata materia.

Primus Dies incipit.

PAulo ante Mosis ætatem natus fuit Saturnus, & ante illum alij gentium Dij, qui cum rerum naturalium studiosi, variorum dogmatum essent inuentores, multas proculdubio hæreses induxerunt, quæ postea inter philosophos de principijs rerum disputantes, plurimum inter se differentes sectas produxerunt. Itaque veram de ijsdem principijs enarrationem instituens Moses, illorum erroribus ipsam antiquissimam veritatem opponit, eosque redarguit, cum ab ipsa omnium rerum materia (de qua in primis mendacissimè ex suo cerebro loquebantur) inchoans, totamque mundi fabricam absoluens, sic cap. 2. & 4. dicit. Istæ sunt generationes cæli & terræ, &c. non illæ, quas insana hominum delíria somniant. Hucusque Mosi textum prosequemur, singula, quantum nobis dederit Dominus, expendendo. IN PRINCIPIO inquit, hoc est, cum nihil adhuc creaturæ esset, sed iam primum creationem inchoare statuisset diuina maiestas, determinatis consilijs & legibus, in primo inquam puncto aut momento existentiæ rerum, qui nihil adhuc rei est, sed initium tantum rerum, omni rei aut existentiæ conditione carens, in illo, inquã, momento temporis cœpit creare, & deinceps CREAVIT DEVS, nulla præhabita materia, ex immensa & incomprehensibilissima potentia sua, informem, rudem, & indigestam massam, ex qua omnia deinceps mundi membra & partes deduxit. In hac materiæ creatione, vt in sequentibus omnibus, tria concurrere necesse fuit, potentiæ paternæ fœcunditatem, actuosam prægnantemque Logi potentiam, & fœcundificam, impregnantem viuificamque vim Spiritus sancti: Ex potentia enim Dei, tanquam seminaria ratione, per fœcundificam vim Spiritus, materiæ initium existentiæ hauriens, à potentia actiua Dei per imprægnantem vim Spiritus sancti, tanquam fœtus in vtero formata & in esse deducta, à potentia denique viuifica & eductrice Dei exclusa, & in propatulum educta est. Sic vnus idemque Deus omnipotens in triplicitatis suæ vigore ex nihilo, sine vllo assumpto subiecto, materiam omnium creandorum concepit, formauit & in lucem protulit, non prius operante patre, deinde Logo, postremo Spiritu sancto, sed simul indisiunctim, indesinenter conspirantibus & cooperantibus ipsis in vnitate essentiæ diuinæ. Illud: IN PRINCIPIO: sic intelligendum esse vt expositum, testis est Esdras lib. 4. cap. 6. sic dicens: O domine loquutus es ab initio creaturæ tuæ, dicens fiat, &c. Enimuero per hoc quod dicit ab initio creaturæ satis indicat, initium siue principium illud non de filio Dei, sed de primo creationis momento dici, id conuincente cum præpositione ab, tũ constructione vocum: initio: & creaturæ. Nam vt quis vocem: loquutus es, cum: creaturæ coniungat, res ipsa reclamat, nec dum existente creatura, cuiꝰ Deus loquatur. De autoritate porro quarti li. Esdræ non est quod ambigamus, cum perspicuum fiat, epitomen esse 70. librorum. Esdræ, quos Picus Mirandulanus in apologia quæstionum se legisse testatur, annotatis etiam similibus plane rerum argumentis, cum ijs quæ hoc Esdræ compendio tractantur. Et veritas prophetiarum hoc libro contentarum, ac partim iam completarum, Spiritu sancto dictante primarium opus scriptum esse conuincat. Præterea cum (vt iam dixi) ex proposito contra gentes scribat Moses, initium mundo ponens, non potest hic aliter principium intelligi, quam nos interpretati sumus, nam si in filio creasse dicat (quanquam & hoc verum est) nec aliud velit, vnde sumetur argumentum contra mundi aut materiæ æternitatem, quum & ipsum principium sit æternum? omnino ergo de principio temporali loquitur Moses.

Per CAELVM & TERRAM hic non intelligit duo distincta, & differentia corpora quæ hodie cæli & terræ nominibus significantur, nondum enim cælum, nondum terra extitit iuxta propriam formam, sed cælum secundo die factum est, terra demum tertio die discreris aquis apparuit, & reliquæ mundi partes deinceps ordine ex massa primum creata educuntur. Intelligit ergo per cælum & terram metonymicè primam illam informem massam, exqua cælum terraque formata sunt. Ad gentiles ipsi sermo est, quibus hoc cælum & hanc terram quæ videmus, iam olim à Deo creata esse, quemadmodũ dicturus est, testatur, vtiturq; nominibus rebusque notissimis, quo ad principium illorum cogitationes hominum conuertat. Voluit enim Moses deliramenta philosophorum, & falsam de æternitate mundi & materiæ doctrinam, hominum animis eximere, quò Deo suam gloriam restitueret, vt cap. 2. & 4. emphaticè admodum indicat. Quod porro cælum & terram metonymice pro eorum materia sumat, postulant sequentia epitheta: THOHV & BOHV, quæ eidem massæ primum creatæ tribuit, quod fuerit informis, vasta, inanis, solitaria, & vacua, eaque epitheta iam non cælo & terræ, sed terræ tantum adiungit, sic lectorem à contemplatione perfectorum corporum, ad primam ipsorum materiam retrahens, neque vero iam terram ipsam in sua forma intelligit verum ipsum chaos indigestum & informe, terræ tamen vocabulo vtens, quia terræ quam cælo similius viciniusque conditione erat. Quin & terræ vocabulum tandem reijcit, dum massam hanc describere pergit, vocatque THEHOM, id est abyssum

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

abyssum. Ita sensim contemplantis mentem omni determinata rerum specie exutam, ad primam cæli terræque materiam contemplandam cogit. Porro in abyssi vocabulo aliqualem huius primæ materiæ formam indicat, nimirum quod fuerit materia liquida & fluxilis, & quidem sine fundo, vt quæ per omnia sibi similis & æqualis fuit, quemadmodum aqua aquæ, lutum luto. Iob item cap. 38. v. 38. prima hæc materia APHAR appellatur, hoc est limus, quem Deus initia rerum in solidam terram compegit, Græcis etiam vetustissimis ὕλη hoc est limus dicitur prima omnium rerum materia. Et item chaos à χέω quod fusilis sit, quæ illius forma procul omni dubio à primis Hebreorum patribus & Mose ad illos peruenit, mundoque innotuit. Limus igitur erat & fusilis materia moles illa primum à Deo creata, non diuersarum naturarum, sed vnius simplicis induisse substantiæ & formæ, habens in se virtutem seminariam terrestris formæ & aquæ & cælestis, omniumque, quæ ex ea massa formaturus erat Deus.

FABRICÆ MVNDI

Caput tertium.

Ad quid creatum sit hoc chaos, & de eius fundamento, ac forma.

IAM quid ex hoc chao Deus intenderit facere, nunc postquam facta sunt omnia, facile intelligimus omnes, nimirum vt illud diuidat formetque in tot rerum species, quot ad mundi Oeconomiam sibi ab æterno propositam necessarias esse nouit, & singulis suam vim & legem naturalem semel indat ac stabiliat, vt immutabilis ad terminum vsque rerum omnium præconstitutum permaneat. Porro cum solius hominis causa crearit reliqua, eiusque seruitio manciparit omnia, donec decursu temporis constituti genus humanum ad cæleste domicilium transferret, vt diuinus Paulus Rom. 8. eleganter disserit, tali ordine prudentissimus architectus eadem creauit & constituit, vt subordinatis obsequijs, & consentientissima harmonia omnia homini inseruirent. Quæ harmonia in eo primum consistit, vt superiores causæ in inferiores principatum gerant, & effectus omnes à summis causis per medias atque imas progrediantur. Deinde & in eo, vt rerum omnium ad se mutuo iuxta causarum & effectuum consequentiam sit inclinatio & veluti amor quidam, quo inferiora respiciunt superiora, tanquam beneficia, & superiora vicissim inferiora, quo aliquid ijs conferant. His duabus naturæ conditionibus fit, vt quantumvis contraria & dissidentia in imis rerum speciebus reperiantur, tamen in ordine quæque suo arctissime cohæreant, & in prima causa tanquam centro concurrentes, iustum seruitium Deo creatori atque homini præstent, adeoque omnia inter se, iuxta proprium quæque officium consentiant. Sed de his postea latius. Illud in præsentia admonendus es lector, vt in rerum creatione diligenter obserues quo ordine, ex quibus, & quo modo, quibusq; mediis singula effecerit Deus, sic dices quid in omni œconomia naturæ sit prius, quid posterius, quæ operum sint causæ, quæ singulorum generationes, proinde & rerum diffinitiones, & naturas, sympathias & antipathias, differentias in fortitudine & debilitate, nobilitate & ignobilitate, longæuitate & corruptibilitate, aliaque plurima cognosces. Quicquid enim de natura rerum disputari potest, ab earum generatione, & primæ creationis ordine dependet. Qui potest capere capiat, difficilia quidem indagatu sunt multa, veruntamen & multa intentiore animi speculatione consequi licet, præcipue si Spiritus sancti inuocato lumine, gloriam Deo ex suo opificio studeas excitare. Multo hic alia naturalium rerum principia, multo alium naturæ operantis ordinem obseruabis quam à gentilibus philosophis est traditum, quippe suopte ingenio hæc mundi primordia, eo quo nobis à Mose sunt tradita modo, percipere erat impossibile. Ad rectum curriculi nostri tramitem redeamus. Creato chao accurate cogitandum est, quid primum in eo fecerit Deus. Ante omnia fixus illi locus erat necessarius, vides enim grauissimum omnium corporum esse terram, cui hæc massa conditione vicinior longe erat quam cælo. Quod si fixum non accepisset locum, facile intelligis in infinitum prolapsuram fuisse, grauitate nimirum semper motum vrgente. Atqui vt rerum principium hic obiter admoneã, obserua Deum ab vltimo & crassissimo elemento, ab inertissimo & informi penè suam creationem inchoare, & paulatim ad altiora, nobiliora, diuinioraque ascendere, obserua item, à solidiore & firmiore corpore initium facere, vt quæ ad vitam & perfectionem creaturarum pertinentia parandi erant, quæ fluxa & mobilia sunt omnia, vt inquam talia omnia firmum haberent subiectum, in quo colligarentur, sierentque stabilia. Terræ ergo & chao locum assignauit punctum vnum in medio vacui, in quo conquiesceret, nec eum nacta vlterius motum intenderet. Hoc totius naturæ longe admirandissimum est miraculum, omnem intellectum & fidem excedens nisi astrorum ambitus, & orbis terræ circumuigatio id ita esse conuincerent, quis enim alioqui credere queat tantum pondus in medio ambientis cæli pendulum hærere, & consistere posse? Et licet veritas fidem extorqueat, quis intelligat sine sustentaculo tantam tamque ponderosam molem ibi stare & conquiescere posse? quis fundamentum hic vllum, vbi nihil quod sustineat occurrit, cogitare potest? Merito igitur Iobum in amaritudine doloris sui secum disceptantem iubet Deus, si intelligentiam habeat, quod sit terræ fundamentum dicere, Iob 38. v. 4. Imperscrutabilis hic est Dei sapientia & incomparabilis potentia, neque vllam huius fundamenti rationem excogitare est possibile, nisi solam Dei voluntatem, quæ absconditas in ipso rationes & causas sequitur, cuique omnia absolute obediunt. Vt voluit ita factum est, voluntas eius materiam ad omnia fabricanda & formanda idoneam exprimit, voluntas eius ex vno vnius formę corpore, plura diuersarum formarum fingit, Voluntas eius corpora ex corporibus, formas ex formis deducen-

do, quo diners & nulla actiuitate præditum est, paulatim in vegetam vim & efficaciam, in vitam, in motum, in sensum, & in intellectum deducit, & quod maximum est, omnia quæ creat ita inter se consentientia, mutuo amore & vinculo connexa, & in idem conspirantia, sola voluntatis impressione facit, vt naturalis illis quidam fiat affectus & inclinatio ad prosequendum officium, quod ipsis ex harmonico idearum in mente diuina consensu, per voluntatem creantis impressum est. Sic chaos, & grauissimum in primis quod in illo est terra, ex impressione voluntatis Dei, punctum in vacuo designatum appetit, eoque quodam veluti desiderio sua grauitate se mouet, donec æqualiter ex omni parte id nactum conquiescat, reliqua mundi suis veluti humeris ferens & sustentans. Est igitur hęc terræ, & proinde chai natura, ac cum reliquis postea creaturis sympathia, vt se omnibus subijciat in sede sibi assignata, in centro mundi, & circum centrum proxime firma conquiescat, reliquaque omnia sustentet, & vt est imperfectissima, à superioribus benedictionem & adiumentum appetat, ad pariendum quæ illi mandata sunt. In hoc igitur puncto necessario conquiescit chaos, quoniam hoc illi Deus sedem quietis, & terminum motus grauitatis constituit, quam legem ac metam transgredi nec potest, nec optat: quandoquidem Deus dixit & facta sunt, ea natura hæc sympathia illi à domino indita est, tanquam ad omnium specierum & indiuiduorum sustentationem necessaria. Ideo Psalm. 103. dicit Dauid. Fundauit terram super bases suas, ne moueat se in seculum & in seculum. Et Psal. 135. v. 6. Firmauit aut extendit terram super aquas. Quia vero hoc chaos mater est omnium, non solum inferiorum corporum, sed & cælestium, omniumque quæ creata sunt, vt audiemus, non est dubitandum quin elementa omnia cælique omnes ad summum vsque, matris suæ indolem, alia plus, alia minus referant, ac pondus aliquod obtineant, quo ad medium inclinentur, sympathiam que suã, tum ad terram, tum inter se mutuo incubatione & contactu, ac veluti sensu exerceant.

Porro & hoc experientia docet, quæ pondere præualent, ea natura velocius, propiusque ad centrum mundi, sedem inquam grauium accedere. Hinc certissima ordinis ratio in vniuerso nascitur, vt quæ leuiora sunt ac subtiliora, superiorem locum obtineant. Neque hoc solum, verum etiam chai totiusque mundi sphærica figura inde ortum habet, quippe cum chai materia fluxilis esset, & ibi per omnia similis, æquali vndequaque virtute & facilitate, ad punctum illum quietis pondere suo ferebatur, ita vt extrema eius omnia æqualiter à centro distarent, & ex omni parte centrum in æquilibrio consisteret. Si enim eius extrema inæqualiter à centro distitissent, plus ponderis centro ex vna aliqua parte incubuisset quam in alia, vt si in cubo a sit centrum, b.c.d.e. sint extrema. ex a autem spectes b. aut d. angulum & c. in medio latere, longior multo est linea d.a. quam linea c.a. aut e.a. multo plus itaque ponderis habet materia quæ secundum a. b. aut d. a. lineam centro incumbit, quam quæ secundum c. a. aut e. a. Vincet igitur d.a. pondus, & c.a. atque e.a. sursum protrudet cadendo donec c.d.e. simul in æquilibrio, hoc est æqualiter à centro consistant, materia existente liquida & fluxili. Necessario igitur chaos in æquilibrio sub figura sphærica consistit. Et erat alioqui talis figura sola mundo



conueniens, postquam superiora perfectioraque corpora, terram iuuandæ generationis causa perpetua circumuolutione erant ambitura. Iohannes de Sacrobusco & cæteri mathematici terræ sphæricam figuram, ex apparentibus quibusdam accidentibus comprobant, sed præclarius multo est ex ipso fonte, ex causis, inquam, vnum quodque demonstrare, hoc enim tramite solida scientia incedit. Inuentum hunc punctum ex iam demonstratis, constat centrum mundi & grauitatis, aut quietis grauium vocandum esse. Vocant autem physici ipsum infimum omnium, reliqua vero superiora, & motum ad medium dicunt deorsum fieri, à medio vero sursum; idque optimo iure, quod supremum merito dici debeat, id quod perfectissimum est, & reliquis aliquid prestantioris naturæ conferre potest, infimum vero qp longissime ab illo, & loco & conditione distat.

FABRICÆ MVNDI

Caput quartum.

De natura & forma chai siue primæ materiæ.

CHaos hoc principio creatum omnium rerum quæ à Deo facta sunt fuisse principium materiale, luce clarius ostendit Moses, dum omnia ex eodem sex dierũ opera deducit. Et prima eius propositio perspicuè conuincit, nihil prius hac materia à Deo creatum esse, alioqui enim non recte principium creationis in ea constituisset. Quum igitur post hanc materiam, & ex eadem facta sint omnia, ad originem naturæ recte penetrandam, & naturalis philosophiæ principia iuxta veritatem constituenda, summè necessarium est, qualis hæc prima fuerit materia diligentissime considerare. Multis se modis torserunt gentiles philosophi in materiæ consideratione, esse illam negare nõ sunt ausi, & tamen ens esse minime concesserunt, aiunt nec quantitatem nec qualitatem esse, neque has in se

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 17 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

habere,quinimo ita omni qualitate & forma ſpoliant, vt tanquam meram priuationem malam ac turpem eſſe teſtantur, eoque nonnulli progreſſi ſunt impudentiæ & temeritatis, vt Deum in edomanda materia,ipſaque formis ſubijcienda laboraſſe dicant. Quid quæſo inſultius, quid magis probroſum in Dei omnipotentiam dici potuit? annon qui formas multo materia nobiliores aliunde(vt illi volunt) efficere & inducere potuit, etiam materiam ad omne opus ſibi obſequentiſſimã creare valuit? Sed hæc eſt mentis humanæ caligo & cæcitas, vt ſine ductu verbi Dei,nihil quod à ſenſibus eſt remotum,& diuinam habet originem recte & certò aſſequi queat. Quin etiam ſuma eſt infania, profundiſſima naturæ myſteria,primam inquam eius originem, & abyſſum extremam conſiliorum & operum Dei,ex ſuo cerebro metiri & perquirere velle. Natura docere nos poteſt ex materia creata eſſe omnia,at quis materiæ illius modum & conditiones nuſquam neque verbo Dei, neque vllo naturæ veſtigio indicatas, imo manifeſto Dei verbo contrarias, pro oraculis obtrudere audeat? Materiam primam ita omni forma omnique entis conditione & ſpecie priuant, vt quo modo in ſe ipſa ſubſiſtere poſſit, dici nequeat. At Moſes diſertis verbis eam terram,aquam & abyſſum nominat, priuſquam ſupra concreatam formam noua aliqua ſpecies illi inducta fuiſſet,& Eccleſiaſtes cap. 3. v. 20. vocat APHAR, id eſt Limum. Ex quibus eam iam ab initio ſpeciem aliquam terræ & aquæ,proinde & magnitudinem ac pondus habuiſſe,ſit manifeſtum. Sed dicet aliquis,philoſophos diſtinguendarum rerum cauſa materiam per ſe,formam item per ſe conſiderare,quo magis perſpicue cauſas rerum à qualitatibus & formis,non à materia dependentes, & generationem productionem que ſpecierum,quæ formæ ad materiam acceſſu fit,doceant. Recte id quidem,& nos qualitates ac formas actuas eſſe, & ſpecierum generatrices aſſerimus,non nudatam hiſce materiam,ſed in duobus interim illi grauiſſime peccant: primum in eo quod ab extremis perfectiſſimisque formis ad primam omnium,quæcunque cogitari poteſt,aſcendentes omnes pariter à materia ſeiungunt, & tanquam acceſſorias aliunde que inductas habent,ita vt nudam ad extremum materiam relinquant,cum iuxta veram ſpecierum productionem à Moſe deſcriptam,ſupra chai informitatem à Moſe indicatam,non liceat aſcendere,hoc enim cum primum fuerit rerum initium, & in illud poſtremo reſoluantur omnia,iuxta Eccleſiaſtem cap. 3. quo vlterius illud circumcidendo poterant aſcendere, quum id compoſitum eſſe docere nequeant? Secundo in eo grauius adhuc peccant, quod formam omnem ita alienam à materia faciunt, vt nullam in illa ſeminariam vim aut radiculam habere concedant,ſed primum ſui initium aliunde extra materiam accepiſſe volunt,cui nos aduerſamur,cum ex mundi geneſi, & teſtimoniis diuinis conſter,primam materiam ſuam formam, & qualitatem ac quantitatem habuiſſe, & ex eius forma reliquorum formas natas eſſe. Præterea abſurdum plane eſt & à Deo alienum,aliquid informe & ſine omni virtute ac qualitate creare,tum ratione inſtituti ſui, tum ratione omnipotentiæ & maieſtatis ſuæ. Inſtituti,quia cum omnia hominis ſeruitio deſtinarit,quorſum iners ſpectabit mater, quæ nec ipſa aliquid per ſe poteſt,nec receptat qualitates & virtutes intendere, quin potius obtundere valebit. Nam ſi receptis qualitatibus aliquid conferre dicas contradictoria ſimul aſſeris,materiam, nec quantitatem, nec qualitatem aliquam eſſe,nec eam in ſuis viſceribus propriam complecti,& tamen aliqua virtute dotatam eſſe, quippe quæ operis aliquid præſtat. Ratione omnipotentiæ & maieſtatis ſuæ minime Deo conuenit,informem omnino materiam condere. Quippe cum ſit ille forma formarum omnium formatrix,mera lux,mera virtus & efficacia, mera vita, & ſpirans bonitas,quomodo poterit inane & mortuum aliquid parere,qui ad vitam omne ſuum inſtitutum direxit. Qui hominem ad ſuam imaginem creare concepit, quomodo à mortuo & inerti fundamento incipiet, & ex eo hominem formabit, quo nihil Deo diſſimilius, imo magis contrarium & à Deo alienum eſſe poteſt? Iniuriam ergo Deo optimo maximo facit, & illius maieſtati atque omnipotentiæ detrahit, qui tam excellentis & incomparabilis operis tam vile principium facit. Rectius paulo de materia prima ſenſiſſe videntur Empedocles & Anaxagoras,quos Plotinus li. de materia,ca. 7. reprehendit. Non enim Empedocles materiam ita in infinitum circumcidebat,& omni qualitate exuebat, ſed cum experientia diſceret omnia corpora in elementa reſolui,vnde compoſita fuerant,nec vlteriorem reſolutionem deprehenderet,deſtitit altius materiæ principium indagare, neſcius prioris materiæ vnde elementa nata eſſent. Quod vero illi obijcit Plotinus elementorum corruptionem, locum non habet, etenim non corrumpuntur elementa, ſed mixturæ tantum, quarum putrefactione & reſolutione elementa repurgantur,& ſuæ integritati reſtituuntur. Anaxagoras autem proxime ad chai naturam accedens, miſturam quandam aquoſam primam aſſeruit eſſe materiam, in miſtura quidem errans,ſedforte quia iuſtum non ſuppeditabat nomen,ſimilitudine rei proxima illam deſcribere voluit,nimirum ab antiquiſſima traditione edoctus, primam rerum omnium materiam Aphar, & ὕλην fuiſſe. Addidit hanc ipſam materiam, non aptitudinem paſſiuam tantum ad omnia,vt alij volunt habere,vt nimirum aliunde inductas formas reciperet, ſed ipſam actu (non expreſſo ſiue actuali, verum potentiali intellige) in ſe ſuauè eſſentia omnes formas omnesque ſpecies continere. In quo profecto parum admodum à veritate aberrabat, vt in progreſſu patebit, verum ſi ſpeciem à materia formari voluit, vt dicere videtur Plotinus,in eo certe errauit,neque enim imperfectum perfectius producere poteſt, ſed ipſum perficiente eget. Vt autem omiſſis ethnicorum ſomnijs, veram de materia prima doctrinam conſequamur, primum quid de ea ſentiendum iudicem, compendio dicam, & in proceſſu ex verbo Dei & perceptibilis naturæ cum illo conſenſu probabo. Sic igitur res habet.

Et

Ex quolibet quid libet facere ſolus naturæ dominus,Deus omnipotens poteſt,de quo Matth.3.& Luc.3. ſic teſtatur Iohannes Baptiſta. Potens eſt Deus,de lapidibus iſtis ſuſcitare filios ipſi Abrahæ. Er qui ſine omni ſubiecta materia mundum hunc creare potuit, multo magis ex quolibet quidlibet etiam in momento fecerit. Rationem tamen & normam quam naturæ indidit, ipſe in creando ſequutus eſt, vt videbimus. Natura autem ſemel à Deo ordinata & conſtituta,non quidlibet ex quolibet efficit, ſed ex materia quæ illi quod intendit natura proximior eſt, hoc ipſum procreat, Hæc enim illius infinita eſt prouidentia, Sic non ex lapide triticum gignit,ſed ex ſucco terreo & aqueo, nec ignem ex aqua ſuſcitat,ſed ex oleo,magiſque ex ſulphure. Qualitas ergo accommoda iis quæ generantur,in materia requiritur, atque hanc videmus in vniuerſum naturæ ſemel à Deo conſtitutæ legem,vt nihil ex nihilo gignat,neque ex contrariè affecta,aut ad generationem inidonea materia.

Omnis operatio naturæ in contrarie affectam materiam, atque inidoneam eſt violenta, minus tamen in inidoneam quam in contrarie affectam. Porro quod vim patitur amoto agente,ad ſuum genium redit,niſi diuturniore actione victum paulatim in agentis naturam pertrahatur. Violenta eſt igitur omnis generatio in materiam, ſi illam ſine omni qualitate & naturali affectu, quibus ad gignendum inclinari poſſit,eſſe dicamus. Porro ad generationem & continuationem ſpecierum ac multiplicationem,neceſſarius eſt rerum inter ſe conſenſus & ſympathia, vt 5. capite dictum eſt,& in mundi oiconomia hoc paſſim manifeſtiſſime eſt perſpicere: oportuit igitur materiam ex qua aliquid generaretur ſibi propriam naturam & conditionem habere, quæ ad intentam ſpeciem ex ipſa generandam eſſet idonea.

Hæc eadem natura,ſi ex prima creatione radicem in materia prima nullo modo habuiſſet, quomodo potuiſſet ad officium, ad quod deſtinauit Deus omnia (nimirum ad ſeruiendum in hominis vſum) inclinari? quæ potuiſſet vnquam rerum inter ſe ſympathia naſci? quam agnoſci & obſeruari à nobis vſque adeo eſt neceſſarium, vt Spiritus ſanctus, qui omnia creata in hunc vſum ſuſtinet, & dirigit, per Paulum, Rom. 8. nobis eam vculenter & ampliter deſcribat, cum magnitudinem incomparabilem gloriæ, quæ reuelabitur erga nos ex hoc creaturarum ſeruitio demonſtrat, dicens Etenim ſollicita creaturæ expectatio expectat vt palam fiant filij Dei, hoc eſt ſuum officium ſibi à Deo iniunctum alacriter proſequitur,homines in hac vita ſollicite ſuſtentans, cum deſiderio vt ſalui fiant,& ad Deum creatorem ſuũ adducantur. Quod ſi,inquit,hoc creaturæ ſeruitium in multis fruſtra fiat,& ſit inane,tamen huic vanitati non volens ſe ſubijcit, hoc eſt, non perinde illi eſt,bonis ne an malis ſeruiat,ſed quantum in ſe eſt præſcriptum officium præſtat in gloriam Dei,& ſalutem hominum. Veruntamen illam huic vanitati ſubiecit Deus,vt nimirum etiã malis,licet fruſtra,ſeruiat, non ſimpliciter tamen, ſed ſub ſpe, ſi forte paſcent benignitatem & benevolentiam Dei, ac conuertantur. Et vt inuitè malis ſeruiuiſſe illam doceat,addit eam ab hac ſeruitute liberandam eſſe,in libertatem quæ cedat in gloriam filiorum Dei,ad quam perpetuo aſpirant,nimirum cum Chriſtus dominus noſter & naturæ, præciſa vlteriore propagatione humani generis, fideles ſuos in gloriam Dei patris adducet. Vides hic manifeſtiſſime,quanta ſit rerum omnium inter ſe & cum homine ſympathia, quam ex materia plane informi omniſque qualitatis & affectus experte,fieri eſt impoſſibile. Atqui dices mihi ex ethnicorum philoſophia,Deum creatæ materiæ poſtea induxiſſe formam aliquam,ex qua deinceps generatio & propagatio ſit facta. Et quorſum quæſo ſecundo loco,ſecundaq; operatione fecit,quod primo primaque creatione poterat? annon æquè principio materiam in ſua natura idoneè qualificatam dare poterat,atque poſtea inducta,idque per vim qualitate? Rurſus an poteſt is qui totus forma virtus, actusque perfectiſſimus, potentiſſimus, optimusque eſt, & ipſa boni origo ac fons,aliquid omnino informe & ab omni affectu actioneque alieniſſimum,procreare.

Iam præcipuum opus ſuum hominem voluit Deus ad ſuam imaginem creare,quomodo enim aliequi in diſſimilitudine potuiſſet gloria Dei frui? Diſſimilia diſſimilibus non afficiuntur,ſed ab ijs abhorrẽt. Similitudo igitur ad Deum requirebatur in homine magna, prout multum gloriæ Dei participeps eſſe debebat, Atqui ſacræ literæ teſtantur, vniuerſam Dei gloriam ſanctis patefactum iri,& nos illi ſimiles fore,quia videbimus eum ſicuti eſt. Maxima igitur hominis cum Deo ſimilitudo erit in futura vita, cuius excellentia initia in creatione illum accepiſſe, ex Geneſi teſtatiſſimum eſt, quippe à creationis ſuæ initio cum Deo verſari, eique in omni obedientia ſeruire,in hoc mundo debebat,donec in ſimilitudine Dei ſibi concreata adoleſceret,& extremam perfectionem in cœlis reciperet.

Cum igitur homo ad imaginem Dei creatus ſit,etiam reliquæ creaturæ, vt cum homine cui ſeruirent iuſtam haberent ſympathiam, aliquid ſimilitudinis cum Deo in ipſa creatione nactæ ſunt. Quin etiam & prima materia chaos ipſum,ex quo omnia,pariterq; homo creata ſunt,aliquam ad ſuum conditorem ſimilitudinem habere debuit,abſurdum enim erat, vt dixi, fontem bonorum omnium Deum,mali aliquid, & qui totus,vita & virtus viuifica eſt,ſtupidum & ſine omni qualitate atque affectu corpus creare,quod mox refingendum eſſet,vt creandis rerum ſpeciebus,& homini ipſi conuenire poſſet. Nam & cuiuſque artificis opus,induſtriam,prudentiam,& animi ipſius ſtudium præ ſe fert,quanto magis Dei intentionem & imaginem aliquam ipſius opera referunt. Qui ergo ita naturam formauit & conſtituit à principio, vt non niſi ex idoneè qualificata materia generationem faciat,etiam primas rerum ſpecies ex idoneo ad hoc chao,creauit & eduxit.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 18 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

Concludimus ergo, chaos fuisse primam omnium rerum materiam, habentem in sua essentia omnium qualitatum & formarum semen, naturam, inquam, vnam simplicem & incompositam, in tot qualitatum & formarum species deducibilem & distribuibilem, quot nunc in vniuersa natura extant. Fuisse item creatori suo in eo simile, quod quemadmodum Deus pater principium est totius deitatis, in se occulte habens omnia quæ in Logo filio actu expressa, & per spiritum sanctum effusa, & creaturis communicata sunt, ita etiam chaos omnes rerum formas, substantias, & qualitates, latenter cundum potentiam seminariam & radicalem in suis visceribus intimaque essentia complexum fuisse, quæ inde à creatore eductæ, perfectæ & in species distributæ actu egrediente homini seruiunt. Et quemadmodum in Deo Patre idearum multitudo, non vt multa, sed sub vnitate simplici comprehensa, per creationem extra Deum in singulas deducitur species: ita chaos sub vna simplici & incomposita natura per creationem in tot substantias & species diducitur & perficitur, quot in mundi corpore & oiconomia requirebantur. Et quemadmodum substantia Dei incomposita est, non constans materia & forma, sed vna indiuisibilis, etiam cogitatione, essentia: ita & materiæ primæ siue chaos substantia incomposita est, non constans materia & forma aliunde introducta, aut de nouo in ipsa creata, sed est vna simplex essentia vnico actu ab vno simplici ente Deo creata, & substantia vitalis, vitaque sine forma substantialis, siue substantia essentialis, & essentia substantialis (aut quomodocunque vnitas materiæ & formæ exprimi potest) existens, in hoc tamen præ cæteris differentijs maximè à Deo distans, quod corporea & crassa sit, finita actu, virtute & potentia, principium tantum tenue horum existens, & diuisibilis in differentes substantias, etiam vsque ad contraria, non quidem immediatè, sed per intermedios progenituræ gradus. Hanc primę materiæ vnitatem haud recte per omnia diuiserunt veteres philosophi, quasi duo diuersa & incommunicantia essent rerum principia, materia & forma. In ijs quidem quæ generantur, aliquid intellectui lucis adfert talis distinctio, dum materiam ex qua aliquid fit, & formam inducendam ac nondum existentem seiunctim (vt ibi res postulat) speculamur, verum cum idin prima materia, & extra casum generationis facimus, materiam plane informem & inanem concipimus, & à veris naturalibus principijs aberramus.

Est itaque chaos in ijs quæ creata sunt & extra Deum, ens entium, forma formarum, substantia substantiarum, non actu, sed potentia, eaque non extranea, sed intranea, materiam & initium formæ præstans, omnibus tanquam mater, verum opifice Deo primum, deinde virtute specifica à Deo instituta, ea formante perficiente & ad partum præparante. Hanc de materia prima & chao sententiam, ex creatione mundi & indubitata rerum experientia, confirmari videbimus.

FABRICÆ MVNDI

Caput quintum.

De erroneo & vero idearum intellectu.

QVia vero ex sinistro idearum & formarum intellectu ac consideratione, multa traduntur à philosophis absurda, perplexæ quæstiones & disceptationes, oriuntur, & verus operationum naturæ ordo obscuratur, altius idearum & formarum conditio ac natura perquirenda nobis erat, ne falso nitentes fundamento nos ipsos fallamus, & pro vera scientia meras opiniones, atque etiam inepta deliria constituamus. Cum formas aliunde in materiam deduci volunt philosophi, aliud & distinctum à materia principium illis assignant, nimirum ideam quandam æternam ex qua fluant illæ, & materiæ adiungantur, ita vt ens vnumquodq; non simplex sit, sed ex diuersis & separatis atq; incommunicantibus, materia & forma compositum, proinde nec in essentia similitudinis aliquid, nec sympathiæ inter se quicquam ante compositionem materia & forma habuerint. Notum ac tritum satis est, bonum quemque artificem ante operis suæ fabricam ideam quandam concipere, cuius intuitu illud inchoet atque perficiat, verum multa inter operandum subinde incidunt, quæ præter conceptum exemplar addat dematué, & si plures idem specie opus aggrediantur, tot erunt differentiæ, quot artifices. Non igitur extra hominem idea est aliqua, tale exemplar in illius intellectum instillans atq; formans, sed ipse pro sui intellectus perspicuitate, proque rerum cognitione, siue vera siue erronea, quam nactus est, & pro rationis suæ iudicio illud fingit, & ex accidente per experientiam aut aliunde meliore cognitione refingit. Deus item, vt per se sapientissimus, potentissimus, peritissimusque mundi architectus, non nisi optima exquisitissimaque ratione condidit omnia, quamobrem & ideam suo operi conuenientissimam concepisse necessarium est. Non enim est sapientis aliquid sine iusto ordine, modo & ratione facere, enimuero quæ sic fiunt fortuitò ac temerè fiunt, nec boni speciem certò promittere possunt. At vero hanc condendi operis ideam, non ex rerum præcognitione & præscitu & ratiocinatione ac meditatione tanquam exemplari aliquo collegit vt homo: ipse enim cum per se & sine omni mentis motu, alteratione, inspectatione & auscultatione sit omniscius, omnipotens, omnia rerum principia, media, fines, modos, conditiones, numerum, proportiones, habitudines, & quicquid visibilium inuisibiliumque existit, in virtute essentiæ suæ præsentia & conspecta & ponderata habens, tam absolutus, inquam, artifex ex intimo centro & fonte essentiæ suæ hanc

hanc ideam increatam & in omnia relucentem habet & possidet ab æterno. Estque hæc idea vnica & simplex, quemadmodum essentia Dei vnica & simplex est, sed fœcunditate veluti generationis & propagationis in ramos formarum, & specierum omnium procedens, iuxta creationis in vnica hominis specie institutum & scopum. Quare cum creationem rerum intimè contemplari voles, & earum affinitatem sympathiamque recte indagare desideras, quo ordine vnum quodque, & ex quo creetur, quoque modo species in speciem transeat, tota mentis acie & viribus est contemplandum, inde enim creaturæ singulorum & seruitutis ordo, quo ad hominem pertingunt, innotescunt.

Iam hanc ideam extra Dei substantiam & essentiam collocare nullo modo licet, est enim ipsi Deo proprijssime propria, nulli alteri præter Deum communicabilis, quemadmodum essentia ipsius nulli alteri quam Deo competit, nisi cum quibusdam insanire lubeat, qui omnia ex essentia Dei genita, & veluti particulas eius esse, ideoque animas omnium ad ipsum rediturас somniarunt. Cum igitur ab essentia Dei sit inseparabilis hæc idea, nefas est aliquod formarum & specierum primum principium, præterquam in Deo cogitare. Quod si quis ideas extra Deum ponat, non erunt hæ primæ ideæ, sed secundariæ, à prima illa, quæ in Deo est, creatæ, quæ cum extra res à philosophis collocantur, & cum materia coire, resque ipsas & species compositas constituere dicuntur, quid aliud fit quam quod sufficienti omnium conditori, minister adhibetur qui omnia formet? quasi per se immediate id nequiuisset ille, aut dedignatus esset efficere, qui tanto erga opus suum accensus est amore, vt delectetur esse cum filijs hominum. Prouerb. 8. Et si informem, inertem, & per omnia impotentem, nulliusque qualitatis materiam per se creasse concedamus eum, qui totus virtus, & ad nobilissimos effectus pregnans omnipotensque efficacia est, cur digniores nobilioresque materia formas per alienas ministrasque ideas creasse dicemus? An non est hoc gloriam creatoris attenuare? An vero & materiam per secundas ideas conditam voles? quæ quæso eius quod nihil est, & ab omni essentia nudum, idea fingi potest? Ideas enim formas formarum effectrices esse volunt, Quod si has secundas ideas, non in primum tantum creatorem rerum, sed in perpetuam specierum propagationem factas quis asserat, quæ erit differentia propagationis à prima rei constitutione? nonne vtrobique species forma in materiam inducta componetur? Si igitur primum hominem creauit Deus, & idem creationis opus in singulis deinceps hominibus repetitur, quomodo septimo die & deinceps à creando cessasse dicitur Deus, Genes. 2. ver. 2. vt tanquam hæretici è cætu fidelium exposi fuerunt, qui angelos mundi creatores affirmabant, non minus hi tales erunt qui ideas extra Deum positas species rerum constituere dicunt, sunt enim & tales ideæ creaturæ non minus quam angeli. Ad hæc accedit quod antea dixi, speciem & materiam si separata & incommunicanti constituas (vt necesse est cum materiam plane informem, eamque cum forma iunctam, compositum non simplex reddere statuis) fieri non potest, vt sit vlla materiæ ad formam inclinatio aut appetitus, aut vlla sympathia, quæ ex differenti similitudine nascitur. Multæ ex ideis à Deo & rebus separatis intricatæ & merè inutiles quæstiones oriuntur, quas vtcunque solueris nunquam veritatem creationis generationisque attinges, proinde nec de naturæ origine, potentia, sympathia, certi aliquid statuere poteris.

Dicimus ergo vnam esse vniuersam ideam in Deo essentialiter residentem, quæ est omnimoda ratio omnium eorum quæ Deus condere voluit iuxta infinitam eius sapientiam, & voluntatem disposita & destinata, eamque ideam, actu externo in opificio mundi speciatim expressam, atque in eo actu expresso naturaliter per generationē species in multa indiuidua multiplicari & propagari, sine vlla extra Deum cooperante Idea, quippe in primo cuiusque speciei actu expresso impressus est character ideæ illius speciei in Deo existentis, ex qua impressione deinceps ad suæ speciei propagationem inclinatur. Illam etiam ideam, siue rationem omnium, vtpote internum actum essentiæ Dei esse analogum ipsi essentiæ dicimus, proinde & creaturas, quæ eiusdem ideæ sunt imagines, ad Dei substantiam & essentiam aliqualem analogiam habere. Vnde altissima trinitatis mysteria, veluti per transennam de longe elucent, & aduersus omnes de Trinitate hæreses, catholica doctrina insigniter illustrari, & vtcunque dissectis tenebris perspicua magis reddi poterit, si quis inuocato Spiritu sancto, creaturæ ad creatorem analogiam pio zelo pro viribus perscrutetur. Quia vero rationes particulares in vniuersali illa idea, per mutuæ dependentiæ nexum & perpetuam harmoniam in consonantissimam melodiam excitantur, creaturales etiam rationes in vnam symphoniam vtcunq; coire est necesse, iuxta similitudinem aliquam, non autem proportionem, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Ex hac quoque creaturarum symphonia, siue in natura & officio consensu & concordia, sequitur sympathia, quæ propter creationis scopum erat necessaria. Quæ hactenus de materia & forma, de speciebus & earum ministerio ac sympathia partim dicta, partim etiam demonstrata sunt, in creationis historia manifestius elucent & probabuntur, eò igitur redeamus.

FABRICÆ MVNDI

Caput sextum.

De tempore inchoatæ creationis.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 19 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

CVm Deus creare inciperet nondum erant astra, nondum illorum motus, nondum igitur tempus erit iuxta physicorum definitionem, & tamen tenebrosum illud interuallum, quod lucem præcessit, pro parte diei computatur, & nox ac vespera vocatur vers. 5. & cum luce sequente, vsq; dum occidit illa, diem naturalem sequentibus æqualem constituit. Mensuratur igitur à Deo æternum illud spacium, per prius posteri usque iuxta partium magnitudinem, nec est vlla cum physicorum tempore differentia, præterquam quod mensurari non potest, nisi comparatione mensuræ ex creatione mutuo acceptæ, neque enim illa mundum præcedens æternitas, annos, menses diesúe, aut simile aliquod accidens, quo mensurari posset, habuit. Quid si vero tempus physicorum mensurari non possit, an propterea desinet esse tempus? mensuratio est accidens tempori, definire illud non potest. Quicquid esse dinoscitur suam in natura habet definitionem, etiamsi verbis dari non possit, ita æternitas vere esse dinoscitur, communis enim intellectus id ostendit, dum nemo est, qui quod nunquam est, esse fateatur, & quod est aliquando, esse non contendat, ac proinde quod est, id aliquamdiu, siue aliquo tempore esse non dubitet. Et communis est sententia: quod nullo tempore est, & quod nusquam est, hoc non esse. Impossibile enim est, essentiam alicuius sine circumstantia temporis & loci concipere. Proinde ad euitandum flexiloquos captiososq; sermones, & inanes fantasias multas, quas ex temporis & loci definitionibus hactenus vsitatis, fallaces sophistæ intellectui tanquam densas nebulas, effundunt, præstat in ipsas temporis & loci substantias, siue malis dici, essentias, animum intendere, & rationes earum si exprimere nequeas, cum desint apta vocabula, similitudine tamen aliqua concepta speculari. *Sic* tempus cogitabis extensionem quandam durationis, inter prius & posterius esse, quam post mundi creationem constantes immutabilesque mensuræ, videlicet astrorum motus, exquisitissimè mensurant, ante conditum vero mundū, licet tales mensurę defuerunt, non tamen desijt esse tempus, & si iam illud mensurare speculatio aliqua postulet, cogitatione mensuras huius nostri poris, quantum ad extensiones earum attinet, partibus illius æterni applicabimus. Vt si æternitatem Dei aliquomodo declarare velimus, dicemus illum mille seculis (extensione inquam tanta) ante conditum mundum fuisse, & supra hæc rursus mille, & vlterius mille, ac deinceps superius sine fine. Sic communis intellectus æternitatis partes aliquousque metitur, & quid opus est hic argutis tergiuersationibus & labyrinthis, quæ æterna sunt & increata facilius aliquali intellectu concipiuntur quam definiantur, aut recte describantur. Et verbum Dei ęterna & infinita sæcula à priori & posteriori, Deo subinde tribuit, communi intellectui quem ipse formauit se accommodans. Locum similiter cogitabimus esse spacium quoddam in quo res est, quem in species tres partiemur, in excedentem locatum, in adæquatum, & in minorem, nihil de locati magnitudine definientem. Secundum primam homo est in domo, pro secunda corpus quodque est in aqua aut aëre, vndequaque eius extrema comprehendente, secundum tertiam vnaquæq; res, & præcipuè Deus, est etiam in minimo loco, creatura quidem secundum synechdochen, Deus vero secundum totam essentiam. Si quis ita hisce determinatis æternum aliquid præter Deum constitui addubitet, is locum & tempus in ipso Deo ab eius essentia adferri considerabit, cum essentia sine tempore & loco esse nequeat. Est enim vt elegantissimè dicit Iohannes Damascenus lib. 1. cap. 16. Deus sui ipsius locus. Eodem quoque modo & ratione sibi ipsi tempus esse imaginabitur. Et Tertullianus contra Praxeam sic scribit. Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi & mundus & locus & omnia, fol, 675. b. Si aliam temporis locique substantiam quærat, in abyssum imperscrutabilem & deuias ambages deuoluetur, quia profunditas Dei omnem intellectum longissime superat.

Dicamus ergo cum Mose v. 5. creationis & primi diei naturalis initium nocte factum esse, noctéq; primam diei partem esse, & à primo creationis momento tempus mundi inchoandum esse, ideoque Deum non solum hebdomadam dierum in memoriam creationis constituisse, verum etiam cuiusque diei initium ab occasu solis & vespera sumi voluisse, maleque sentire eos, qui vetustiores Hebræos diem ab ortu solis inchoasse volunt, locis aliquot scripturæ sacræ male intellectis & detortis id sibi persuadentes. Exod. 12. v. 18. solennitas paschæ 7. diebus celebranda præcipitur, & initium finisque illorum dierum, constituitur in vespera, diem autem primum & vltimum solennes constituit dominus, v. 16. adeo vt primus Iohann. 19. v. 31. vocetur magnum sabbatum, diem vero decimum quartum mensis, quo agnus mactabatur inter duas vesperas, Hebræi vocant parasceuen, id est, præparationem & à Paschate immediatè sequente distinguunt, vt patet Matth. 27. v. 62. Marc. 15. v. 42. Luc. 23. v. 54. Iohan. 19. v. 31. Duo igitur sunt dies, duæque vesperæ se mutuo sequentes. Prima est finis diei 14. altera post solis occasum sequens nox, quæ ad sequentem diem pertinet. Inter has duas vesperas iubet vers. 6. agnum occidi, & præparari. At qui hoc in momento vtrumque diem diuidente fieri nequiuit, ideo vespera latius sumitur pro tempore vespertino, & ad finem diei inclinante illiué propinquo, aut etiam diem terminante, & continuo sequente. Sic versu 18. cum iubet infermentata, die 14. ad vesperam edi, de vespera finiente & diem completum immediatè subsequente, intelligit. Cum enim solis occasus dies distinguat, quomodo nox qua edebatur pascha, & pars diei ante occasum solis, in qua mactabatur agnus, in vnum diem referri possunt? Planius Marc. 16. patet, noctem initium diei naturalis fuisse. Cum præterisset sabbatum, inquit, mulieres emerunt aromata, quod sabbato non

non licuisset, vespere ergo finito sabbato id fecerant, quandoquidem prostridie quæ erat altera sabbati, summo diei diluculo ad monumentum venisse subiungit. A vespera ergo & sole occidente, diem naturalem inchoarunt Hebræi, quia primus dies creationis à nocte cœpit.

FABRICÆ MVNDI

Caput septimum.

Opera primi diei.

PRimum ergo quod creauit Deus fuit chaos illud, de quo hactenus disseruimus, & indigesta moles, materia materq; omniū creandorum, quam terram appellat, quod terreæ naturæ & conditioni fuerit proxima, quippe terra primum absoluta fuit & suos fructus dedit, mox autem chao hoc adhuc indiuiso, ipsum aquas nominat, non quod aquæ iam tum à terra segregatæ fuerint, sed indicat statim creata materia eius, in elementa distinctionem inchoatam fuisse, ideoque & antequam aquam nominet, vocat abyssum, tanquam medium quiddam inter informem massam, & primam distinctionem apparere incipientem, aut potius naturam illius massæ indicat, quod fuerit APHAR & fluida materia, ad aquæ generationem prona, quam primum à terra separare instituebat. Fuit autem massa hæc tota, quanta erat, abyssus, vniformis enim adhuc erat, nec in vllas species formata, necdum extabant animalia, plantæ, lucidum cœlum, immo nec elementa ipsa, terra, aqua atque aer, sed erat, inquit Moses, solitudo & inanitas, siue solitaria, inanis & vacua, quemadmodum terrā inhabitatam, sterilem, & nihil vsibus humanis accommodum proferentem, solitudinē appellamus. *Sic* erat massa hæc mera solitudo, speciem tamen in se habens, vnde omnia quæ nunc sunt, deduci & formari possint, eaq; species sub forma APHAR, limi & abyssi præcipue indicatur & intelligitur.

Addit huic chao defuisse, quo maxime opus erat ad constituendam naturam rerum omnium generatricem & procreatricem, nimirum lucem. Duo in creatione in primis sunt obseruanda. Primū quod ab imperfectissimis, ignobilioribusque, ad perfectissima nobilissimaque ordine procedit, vt à chao primum ad terram, deinde ad aquam, hinc ad cælum, & ita deinceps. *Secundum*, quod singulorum naturas, potentiam, actiones, ordinem, modumq agendi, ortus, occasusque, & periodos singulorum, vniuersamque naturæ legem, talia in creatione instituit, qualia perpetuo esse voluit. Itaq; cum inferiorem mundum, terram, aquam, aerem, matrem generandorum omnium, superiorem vero patrem & mascula vi præditum esse vellet, hoc est seminariam rationem in elementis, præparatricem autem & excitatricem ad generandam potentiam in cœlis constituere vellet, mox vt elementa educere cœpit, simul etiam materiam cœlorum extraxit, quo simul mater paterque adolescerent, vt vtriusque in generando potentia virtusque omnis, suas leges normasq; in ipsa creatione acciperet. Itaque duos creaturarum ordines à principio distributionis chai simul instituit, & in vtroque paulatim ad perfectiora nobilioraq; progreditur, & dum in elementa massam distinguere incipit, simul cū aëre cęlestem materiam lucidam educit, ex qua deinceps firmamentum & astra formanda colligendaque erant, & vt cuique suam speciem sensim perficiendo tribuit, ita & singulis proprias naturæ leges indidit, elementis elementares, & cœlesti materiæ cœlestes. Animaduertendum est autem & aëris elementum, & cœlum ipsum ex quo lucent astra, vno cœli nomine subinde in sacris literis signari, ex ratione igitur nominis à Deo instituti, eiusdem conditionis, hæc duo primum fuerunt, simulque indistinctim creata sunt, sed mox separari cæpta, cum ex nobiliori eius substantiæ parte firmamentum condnndum esset atque astra.

Obserua nunc, quæ fuerit cœlestis substantiæ materia. Aquæ elementum iam in chai conuexitate colligi & apparere incipiebat, necdum producta luce, quæ ad naturæ operationes erat necessaria, & ecce Spiritus domini ferebatur super aquas, inquit, Ventum validum è chao excitauit, qui aquas nondum à terra separatas moueret, & in altiores vndas attolleret. Hac agitatione paulatim secerni aqua à crassiore terræ substantia cœpit, & subtilior spiritus ex aquosa chai parte excitatus in aerem euasit, subtilior quoque & nobilior aeris pars in æther, siue cœlestem substantiam. Tria hæc primo die præstitit flatus ille, qui haud dubiè durante vlterius agitatione, densior, vehementiorque factus est, ventosi spiritus maiore excitata copia, donec subsidens terra & compactior euadens, agitationem illam paulatim compesceret, ventosaque materia vtcunque exhausta & attrita, paulatim ad quietem se componeret. Quando igitur cœlum ex aqua necdum discreta educi & formari vides, facile intelligis ipsum etiam cum terra affinitatem habere aliquam, magis autem, cum aqua, vnde ipsum Hebræi SHAMAHIM, ab ESH, id est igne, & MAIM aquis, vocant, quod ex aquis sit factum, & astra tanquam aquas ignitas circumferat, vt nominis etymon describit Eugubinus. Porro quia chaos magnitudinem & pondus habuit, & quicquid ex eo factum est matris indolem aliquo modo, vt dixi, refert, grauiora ignobilioraque in vnoquoque primum subsiderunt, leuior aut nobilior vero substantia, veluti pinguedo chai totius sursum eleuata diutissime cum superiore cohæsit, vnde cœlum ex nobiliore parte cuiusque elementi creatum est, priusquam illa in suum quæque locum separatim abijssent. Hinc ex nobilitate ac virtute omnia elementa longe superat cœlum, quod ex nobilissima totius chai substantia creatum est, & in

& in ipso cælo,quæ suprema sunt,inferioribus multo sunt nobiliora, itemque cœlestia ad elementaria,affinitatem & sympathiam perpetuam obtinent,per quam ad se mutuo inclinantur,similiter superiora cœli ad inferiora eiusdem,vt nihil sit in mundo, quod non ex indita sibi sympathia suo loco & ordine hominis causa seruiat. Ita cœli & astra propter inclinationem quam habent ad hæc inferiora,sphærica forma constituta,& in centro vniuersi conquiescentia,circulariter & variè mouentur, quo suas virtutes his inferioribus omnibus, quantum ad generationem necessarium est, communicent. Fuit autem cœlum hoc primo die adhuc indiscriminatim vnius per omnia conditionis & naturæ,proinde & vnicum tantum principio habens motum,qui noctem & diem distingueret.Cæterũ non interquiescente creatione, lucidior cœli materia sensim in sphæras diuersas, globosque stellarum & planetarum colligi cœpit, & vt quodque illorum perfici naturaq; propria & motu imbui cœpit,ita etiam sua cuique sympathia & operatio innata fuit. Sic soli destinata lux,siue lucens materia in dimidiam cœli partem continuo colligi cœpit,& in globum solis coire, ita vt post decem circiter creationis horas(nam ad Leonis signum contrahi cepit,vt in Chronologia probabiliter demonstratum est)lumen mundo dederit, quod post quatuordecim horas deinde motu cœli diurno occubuit. Fuitque hoc lumen,principio debilius, quippe sparsa adhuc solis materia,donec quarto die in suam magnitudinem contraheretur & compingeretur. Hæc de syderum in globos collectione luciſque incremento,inanis esse nequit speculatio, quandoquidem lucem esse primo die oportebat, quæ diem constitueret,cum sol quarto demum die perfectus fuerit, nec aliam lucem quam solis ad faciendum diem Deus ordinarit.Simili modo expansionem cœli, collectionem aquarum in maria, terræ exsiccationem,herbarum,frugum & arborum productionem,& quecunque soli naturæ mandauit & commisit Deus, non momento,vt mandantis sermo præ se ferre videtur, facta esse cogitabimus,sed sensim eo ordine & modo quo naturam semper vti in posterũ voluit, ideoque vnumquodque opus tum inceptum esse,cum materia ad hoc idonea præparata fuerit,præsertim autem eo die quo mandatum expressum est.Sic secretio aquæ à primo die inchoata est,at tertio demum die perfecta.Si enim in momento singula creata essent, magis ad res producendas, quam ad naturas rerum & leges constituendas intendisse videretur Deus, cuius contrarium tertio die videbimus. Quum ergo cum re qualibet eius natura,& lex naturalis fieri debeat,mox vt creari aliquid cœpit, cepit & eius virtus efficax,& modus,regulaque agendi,quibus Deo in creatione seruiebat, ita vt singula à sui initio sua velut progymnasmata in creatione habuerint, & per naturã semel institutam in cæteris disponendis creatori suo seruierint.Sic facto in chao pondere,& centro sedeque grauium posito,naturaliter omnium corporum dispositio & ordo secutus est,sic mota per ventum massa,naturaliter terræ& aquę discretio facta est,& exhalationes sursum sublatæ sunt,quæ in cœlestem conditionem ab opifice formatæ,cœlestem etiam operationem in generandis herbis,arboribus, animalibus exercuerunt. Ita creatio præcedit, creationem subsequitur naturalis operatio, & hæc duo deinde in reliquis Dei operibus concurrunt. Cum igitur hic sit ordo rerum ab opifice ad totius intentionis suæ scopũ sapientissimè institutus,diligentissimè obseruabit veræ philosophiæ studiosus quo ordine sint creata singula,quam illorum materiæ naturam primum indiderit creator, quidque illi naturæ adiecerit, quo species rei formandæ prodijt, item si quid res hanc creationem circumstantes,operæ attulerint,negligendum id non est, quanto enim hæc omnia altius perscrutari datur, tanto perfectius rei creatæ natura, efficacia, communio cum alijs creaturis,& per consequens sympathia & omnis operatio innotescent. Vt porro cuiusque rei materia cognoscibilis fiat,à prima omnium materia chao incipiendũ est, quatenus enim illa iuxta suam formam & qualitates cognita fuerit,eatenus & quę ex ea primum creantur cognita fient,similiter & ex his reliqua. Cæterum quæ à creatore materiæ adduntur,ad constituendam rei speciem & naturam,ea præcedens creata natura docere non potest, sed à posterioribus, nimirum ab apparentibus rei magnitudine,pondere,leuitate, soliditate, raritate, fluxibilitate, figura, qualitatibus, coloribus,officio,aut alijs quibusuis accidentibus ac proprietatibus,quorum tamen causæ effectrices antea longo studio & experientia cognitæ sunt,petere oportet. Hæc obiter admoneo,quia ad inueniendas rerũ causas & oiconomiam (quo philosophus animum intendere debet) hæc prima sunt fundamenta. Quod quisque potest hoc faciat,nos partes mundi, situm,proportionemque & motum localem, cæteraque quæ sunt Cosmographiæ propria sectamur,cætera diuinioribus ingenijs relinquimus contemplanda.

Cum ait Moses: Dixit Deus, non latam peculiari aliquo tempore sententiam indicat,sed perpetuam eius voluntatem, quæ res sine sermone aut expressis verbis eloquitur & efficit, ac definito tempore profert. Ita etiam in actionibus Dei cum inquit, diuisit Deus lucem à tenebris, non externam actionem intelligit,sed perpetuam Dei voluntatem, qua sola omnia præconstituto tempore inchoat & perficit.Non autem dicere vult, hoc die completam fuisse illam diuisionem, postquam quarto demum die, sol, astraq; omnia perfecta fuerunt,sed intelligenti nõ obscurè eam lucis collectionem quam dixi indicat,eamque hoc die cousque processisse,vt lux in vnam partem cœli contracta occumbere potuerit,relicta post se nocte & tenebris. Post absoluta huius dici opera addit lucem illam bonam à Deo iudicatam & attestatam fuisse,quod non de omnibus creaturis agit, sed de illis tantum, quæ præ cæteris insignem homini vtilitatem conferunt, & eximiè opus intentionemque Dei illustrant & commendant.Sic in sequentibus eodem encomio extollit terræ exsiccationem,herbarum, arborum,& fructuum generationem,solis,lunæ & stellarum officia,animalia aquatilia,deinde & terrestria

restria, quæ omnia tandem creato homine valde bona iudicauit, vt quæ illius seruitio, cuius causa creata sunt, accommodatissima erãt. Magna opera domini exquisita in omnes voluntates eius. Psal. 110. Inducta in mundum lucc, completus fuit primus dies, quem dicit constare vespere & mane, siue nocte & die,naturalis appellatur à latinis. Noctem præponit,quoniã ab illa cœpit creatio,non enim prima omnium lux creari potuit, iuxta ideam omnium in opificis mente conceptam, sed materia prærequirebatur,ex qua illa formanda erat. Finis primi dici.

FABRICÆ MVNDI

Caput octauum.

DE CAELO.

Secundus dies incipit.

AB occasu lucis,sequutus est secundus dies,in quo firmamentum creatum est. Non addit autem ex qua materia illud fieri voluerit Deus,verum hoc ex lucis creatione manifestum est. Cum enim lux ex aquis,quales diximus, sit producta, & lux omnis à firmamento veniat,certum est eandem lucidam substantiam,quæ diem attulit & circularem motum nacta est, hoc die in firmamentum fãtam esse,vnde & firmamentum SHAMAIM sacra lingua vocatur,quod eiusdem cum luce sit substantiæ,nimirum aqueæ,licet paulo ignobilior, quippe lux vt nobilior, nobiliorem etiam eiusdem substantiæ partẽ postulabat,quapropter & serius eius species & natura perfecta fuit, videlicet quarto die. Vocat hoc firmamentum Moses RAKIA,qua voce diffusio, extensio,expansio & distensio significantur. Ratio ergo nominis huius ex creationis opere sumpta est, quę hoc ordine& successu facta fuit.Mox vt ventus in abyssum incubuit,sursum exhalauit, & diffusa est aëria cælestisque substantia,in qua quicquid ad lucem commodum erat,in luminosam essentiam excoctum mox colligi cœpit,vt diem præstaret,simulque futuri firmamenti substantia,in qua lux colligebatur & permanebat, sursum ex aëris elemento sublata,diffusa, extenta & tanquam velum aut tentorium circum vniuersum mundum inferiorem expansa est,& motum diurnum iam à primo die habens,& lucem circumferens.Hoc firmamentum ergo propter huiusmodi ex elemento aëris diffusionem, extensionem, & expansionem, propriè RAKIA vocatum est,non autem propter soliditatem aut compactum substantiæ robur,quod RAKIA non significat. Neque vero materia ex qua firmamentum hoc factum est,neque expansio illa quam hic illi tribuit Moses,& item Esa. cap. 42. ver. 5. & 40.v. 22. Item Psal. 104. v. 2.talem soliditatem,talęque substantiæ robur secum necessario fert,neque ferre suspicandum est,nisi aliquod eius in verbo Dei argumentum eluceſcat. Sumpta à velo ventis tenso, & tentorio firmiter expanso,comparatio,magis naturæ stabilitatem atque immobilitatem declarat, & incorruptibilitatem,tale firmamentum voluit Deus in hoc opere significare atque esse,vt perpetuum esset rerum caducarum adiumentum & sustentaculum. Et quid,quæso, profuisset ibi ferrea rigiditas ac fortitudo,adamantinaque durities,vbi nulla est attritio,nihil est quod corrumpat? Vocauit etiam Deus hoc firmamentum cœlum siue SHAMAIM, vt eiusdem esse substantiæ cum luce, pariterque cum illa creatum esse intelligeremus. Obseruandum hic est,quod Esdras lib. 4. cap. 6. creationem mundi repetens,de hoc firmamento dicit: Et die secundo, inquit, creasti spiritum firmamenti,& imperasti ei,&c. Docet ordo creationis, docet ponderum proportio, docet raritas substantiæ & experientia, quanto altius à centro mundi distant corpora,tanto rariora, leuiora, spiritaliora quæ existere, proinde,quæ in summo resident,maxime spiritalia esse necesse est. Iam firmamentum hoc elementis multo est altius,quamobrem multo etiam est aëre spiritalius, & quam maximè in extrema summitate sua,vbi tot sydera perpetuum,constantissimum & minus varium motum habent. Tale autem fieri cœlum erat necessarium, postquam mascula vis quæ in spiritali substantia subsistit,illi inserenda erat, ad imperfectam horum inferiorum generandi potentiam imitandam. Neq; totam eius substantiam talem per omnia æqualiter,hoc est homogenee esse sufficiebat,sed pro rerum varietate & natura,varia etiam & turgens fœcunditas requirebatur,quæ foras naturali inclinatione tenderet ad maturandos inferioris mundi fœtus,eisque obstetricandum.Ea autem fœcunditas in exundante spiritali essentia,eiusque fortitudine sita est,quapropter eius spiritalis substantiæ,quæ cœlo cuique aut eius parti inest,collectio in vnum corpus sphæricum, tanquam genitale membrum fieri debuit. Sic in cœlo solis, præcipuum spiritalis substantiæ robur in globum solis collectum est,addito illi in subsidium generationis, Mercurio & Venere. Sic Luna,sic stellæ à principio creatæ lucis,iuxta sui officij exigentiam,in suos quæque collectæ sunt orbes, ac quarto die tandem perfectæ. Lucis etiam calor & splendor,siue potius eradiatio,ad spiritalis virtutis in generationis actum, productionem & intensionem,necessarius erat,proinde cum lucem crearet Deus,spiritalem cœli substantiam lucidam effecit. Iam si possibile cuiquam esset,lucis in substantia naturalem causam & originem cognoscere, mysterium magnum ille ad inquirendas, & aliquousque inueniendas stellarum & planetarum naturas, quæ causam suam efficientem & materialem,haud dubiè sequuntur,haberet. Si enim totam mentis aciem intendas, videbis creationem rerum,naturalem ferè causarum ordinem sequi,atque ex causis causas deducere,donec ad propositum effectum perueniatur. Atque hæc est incomprehensibilis sapientia Dei,

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 21 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

quod ex vno primum creato, ita naturam format & instituit iuxta ideam vniuersalem, vt non minus eam imitari, quam condere & statuere videatur, quippe Ideam vniuersam naturæ exactissimè conceptam, voluntate & potentia creando etiam exactissimè imitatur & exprimit, vt idem in idea & fabrica, naturalis rerum & causarum successus existat. O supra omnia admirabilem sapientissimam potentiam, & potentissimam sapientiam: Quantam oportet naturæ ad creatorem suum esse affinitatem! Dixit ille & hæc facta est, voluntas illius est huius essentia, proinde vt vult ille, ita hæc est, ac vult, idque propter idem quod vult ille, Deus voluit, & cum delectatione & studio voluit, cœlum & vnumquodque in eo astrum, homini & propter hominem omni creaturæ, vario motu inseruire, hęc voluntas, hoc studium etiam cum quadam dilectione cœlo impressa manet, idem vult, eodem inclinatur cœlum, & cum delectatione quadam diligenter exequitur. Affectus ergo Dei erga suam creaturam, sit affectus creaturæ ad creaturam. Hæc prima & præcipua est causa & origo omnis sympathiæ, qua vnumquodque ad suum officium exequendum excitatur, non est quod aliam cælo aut angelos motores tribuamus, quasi per se sit immobile, & virtutis suæ radios ociosè & sine vllo ad inferiora affectu ac sympathia quocunq; contigerit, spargat, multo minus vt à diuina mente ipsum perpetuo moueri dicamus, nisi perpetua natura eius voluntate semel illi impressa. Interim tamen si hanc de sympathia philosophiam absoluere voles, inquirendum tibi erit, quam similitudinem, quam analogiam cum creaturis, & cum quibus earum ipsi cœlo indiderit, per quam ad eas inclinentur, quin etiam vnde, quo ordine & quo modo ea similitudo & analogia in ipsum inducta sit. Verum vbi hoc theatrum ascenderis, exclamabis: O profunditatem diuitiarum, & sapientiæ, & cognitionis dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperscrutabiles viæ eius. Quod si nihil inueneris, hanc tamen imperscrutabilitatem didicisse magno erit lucro, quo infinitam sapientiam Dei altius admiraris discas, & ipsius maiestatem promptiore animo reuereri. Hoc etiam facile consequeris, vt nihil sine causa iustaque ad vnicum scopum ratione, à Deo conditum esse experiaris. Intelligis nunc spero, quid velit Esdras, cum ait Spiritum firmamenti creasti, & illi imperasti, nimirum quod cœlestis materia quæ multum est spiritalis, percipiens verbum Dei, siue impressionem voluntatis eius, eundem cum illo affectum erga hominem induit, videlicet vt illius causa incalescens extenuaretur, spiritalis fieret, in altū super aëris elementum se attolleret, extenderet, ac ibi fixa persisteret, aquas ab aquis diuidens. Hanc ergo ex voluntate Dei eiusq; impressione sympathiam nacta materia cœlestis, aëri adhuc mixta, & in spiritaliorem essentiam versa, à sua inclinatione sursum educta est, & hoc est quod ait, secundo die creatum spiritum firmamenti, licet tum nondum in globos stellarum ac planetarum contractus fuerit. Reliquum etiam mandati, nempe diuisionem, ex eadem sympathia & inclinatione eodem die executa est, & in eodem persistit officio, donec Dei voluntas, ex qua eius sympathia pendet, compleatur, vt testatur illud Dauidis, Psalm. 148. Stare fecit ea (cœlestia) in perpetuum, & in seculum, statutum dedit, & non præteribit.

Fuit hoc firmamentum non singulare aliquod cœlum ab alijs diuisum, sed vna cęlorum machina, vt inde manifestum est, quod quarto die solem, lunam & stellas in hoc firmamento posuit, omnes nimirum cœlos, qui nobis apparent, comprehendens. Quoniam autem corpora hæc, quæ Deus in firmamento posuit, & secundum Dauidis testimonium certis legibus fixit, diuersos admodum motus habere comperiuntur, in plures cœlos hoc firmamentum diuisum esse constat, quot autem sint illi, in astronomicis probabiliter differemus. Diuisionis autem modus in præcedentibus apparuit, cum perpetuo superiora ex inferioribus, vt extenuata, dilataq; magis & leuiora ascenderunt, vt aqua ex terra, aër ex aqua, firmamentum ex aëre, ita procul dubio in firmamenti communi substantia, paulatim facta simili extenuatione, discretione, atque in altum subductione, primum imo loco relicta est & subsedit sphęra lunæ, secundo sphæra solis cum Mercurio & Venere, tertio Martis, deinde Iouis, ac sic deinceps, vt postrema secretio sit aquarum supercœlestium, quæ totius machinę mundanæ suprema pars est & manet. Hanc esse in cœlorum distributione oiconomiam, vniuersalis rerum & perpetua natura, qualis est lex grauium & leuium à Deo instituta postulat. Cum enim ex prima vnicaque materia condantur & formentur omnia, ideoque illius indolem referant, non alia ratione superiora ad se mutuo, quam inferiora inter se affecta erunt, nisi Deum dicamus, cum ad cœlos formandos veniisset, materiam primam refinxisse, & multo aliam illi essentiam, naturam & leges indidisse, verum hoc quid esset aliud, quam sapientiam Dei & potentiam eleuare, vt qui materiam primam non ad omnia creanda idoneam fecisset? quæ potuisset, hoc concesso, inter cœlestia & elementaria esse naturarum communio? quæ sympathia? an non hoc esset turbare omnem rerum ordinem & scopum Dei in sua creatione subuertere? Cum ergo vniuersalis lex naturæ per omnia inter se communicantia, eodem modo se habeat, nulli dubium esse potest, quin ea quæ ex vno in se conformi nec dissidente prodeunt, ad vnum illud eam obtineant rationem, quam filius ad parentem, & genitum quodque ad suum genitorem, illius naturam aliquo modo referat, & ad illum tanquam suum principium inclinetur, & amoris vinculo alligetur. Eadem ergo cœlestium inter se erit ratio, quæ est elementarium, quum est vna eademq́ue in se conformi & concordi massa creata successiuè sint omnia, & superiora ex sua nobilitate & perfectione, hæc inferiora tanquam suum principium amplexabuntur, eò fortius, quò magis natura communicant, & homini pro viribus seruiunt. Superioraetiam vt magis defæcata, magis distillata & excocta, nobiliore forma superaddita, nobiliora quoq; erunt ad scopum Dei instrumenta, validiusq; suum officium ad eundem præstabunt. Quamobrem absurdissima iudico quæ

quæ Astrologi de Saturni & Martis malitia sibi persuadent, vt latius in Astrologicis disceptabo.

Creato & suo loco posito firmamento, factum est, inquit Moses, vespere & mane dies secundus, à vespera nimirum vt primus, incipiens, & ad lucem iterum occumbentem, finiens, eadem est ratio dici quę prius, quam toto creationis tempore seruans, perpetuo ad creationis memoriam retinendam indicat. Vocauit autem firmamentum hoc cœlum, SHAMAIM Hebraicè, si vocali dictione vocanit. Adamo sic vocauit, alioqui quod Deo, dicere esse, dixi, hoc idem est quod vocare, videlicet æterna eius voluntas, qua firmamentum ex aquis esse voluit & fecit.

FABRICÆ MVNDI

Caput nonum.

De aquis supercœlestibus & creatione Angelorum.

DE aquis supercœlestibus nusquam aperta fuit mentio, nisi Genes. 1. v. 7. Psal. 148. v. 4. & 4. Esd. 6. v. 41. Variè de illis sentiunt scriptores. Iacobus Zieglerus valde ineptè imaginatur, primam materiam à Deo infinitam creatam fuisse, ne quid vacui extra mundum relinqui putaretur, & ex ea materia mundum creando non exhausisse eius infinitudinem, sed quantum ad creandum sufficeret assumpsisse, reliquum, vt erat, reliquisse, quod vocat aquas supercœlestes, inane & tenebras, illudque per firmamentum à mundo exclusum fuisse asserit. Quæ sententia nimium est absurda, quomodo enim infinitam Dei sapientiam aliquid frustra creare admittetur? Etenim frustra plane fit, quod extra mundum inane, nulliusq; formæ & vsus relinquitur. Quod si ad complendum vacuum id fieri dicas, interrogabo antea ne ab æterno ibidem vacuum fuerit, an verò etiam hoc creatum sit? inextricabilis quæstionum fiet labyrinthus, nec vllus naturæ modus, ordo & lex in partium mundi ex chao deductione, apparebit, sed omnia sine ratione, sine naturali aliqua consequentia fient, nullus enim erit locus extenuandæ materiæ ac dilatandæ nobilitandæque. Alij & quidem non pauci, aquas supercœlestes putant esse nubes, quæ media regione aëris feruntur, & aëre inferiore (qui etiam cœli nomine comprehenditur) à mare & fluminibus separari. Verum his aduersatur sacrum Mosis testimonium, quod illi firmamento in quo sol, luna & stellæ sunt positæ, diuisionem attribuit. Neque enim aër qui sub nubibus est & magnis mutationibus subiectus, firmamentum dici potest. Quod si à perpetuo & immutabili in suo loco situ, firmamentum appellare velint, erit & aqua firmamentum, verumalia firmitas requiritur, tale vt dixi firmamentum necessarium erat, quod substantia & virtute immutabile perpetuo subsisteret, ad sustentandum rerum secundum earum species generationem & multiplicationem, hoc autem post lucem factum fuit, quare & post aërem, nam lux sine aëre, qui circumire massam, lucemq́ue deferre, & diem noctemq́ue efficere debebat, esse non potuit. Quamobrem cum firmamentum hoc ex aëre sit factum, illoq; posterius vno die perfectum, aliud ab hoc inferiore aëre, perfectiusque illo, procul dubio fuit, supra quod etiam Dauid has aquas collocat. Obserua Psal. 148. eius in laudando Deo ordinem, primo in genere cœlestia ad laudandum prouocat, deinde iusto ordine & distinctim singula compellat, primum qui cęlos inhabitant angelos & spiritus beatorum, deinde partes cœlorum, solem, lunam & stellas, hoc est firmamentum, tertio cęlos cœlorum, hoc est, cœlos qui firmamentum ambiunt, & intra se comprehendunt, siue cœlum cœli, vt est Psal. 113.. postremo aquas quæ supra cœlos sunt, mouet, Vides illum ordine ab imis ad summa progredi, addita etiam singulari causa, cur maximè laudare Deum debeant, nimirum quia Deus illa stare fecit in perpetuum, & legem officiumq́ue dedit, quod infectum non præteribunt. Post cœlestia transit ad rerestria, in quibus ventos, fulgura, grandines, nubes, aues cœli complectitur, nimirum elementaria omnia. Vides ergo duos laudantium ordines, cœlestem & elementarem. Cum igitur inter cœlestia & immutabilia collocet aquas supercœlestes, nequaquam eas esse nubes credendum est. Et Psal. 104. v. 3. contignare dicitur Deus tectū & superiora edificij sui, mundi videlicet, aquis, quæ aliæ quam hæ supercœlestes esse nequeunt.

Vnde nunc istæ aquæ sint creatæ, & in quem finem, ex Mose non liquet. Quando enim oculis percipi non possunt, nec quid exhibent, quod in idololatriæ materiam à gentibus rapi possit, amplius & abditissima vniuersæ creaturæ altissimaq; sint, quæ perscrutari nequeant ab vllo homine, non admodum referebat earum originem & scopum explicare, quamobrem & illa tacet Moses, nec apertè reuelat spiritus sanctus. Non tamen frustra earum mentionem facit, sed pijs animis aliquid altius cogitandi materiam offert, & summè admirandam Dei sapientiam & potentiam inexplicabilem innuit, vbi mentis extrema acies retunditur, & harum vias abyssumq; vlterius prosequi nequit. Originem autem & materiam illarum hinc percipere licet, quod aquas nominat, conformes enim & connaturales firmamento indicat, quemadmodum & Dauid cum Psal. 148. supremum illis locum in toto vniuerso, pariter cum Mose tribuit. Enimuero cum omnia quæ hactenus post motas aquas & lucem creatam sunt facta, ordine exteuationis & perfectionis, sursum sunt lata & suo loco affixa, dubitari non potest, quin eodem continuato ordine, ad extremam, vt ita loquar, distillationem & sublimationem, in aquis istis supercœlestibus sit ventum. Sunt igitur istæ aquæ, cœlum omnium lympidissi-

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 22 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

mum purissimumq́;quod rectè theologi vocant empyreum, quippe cum tanta sit lux in firmamento,& ex ipsa firmamenti substantia collecta, quæ meros ignes oculis & sensui repræsentat,erit & huius vltimi purificatissimiq́ue cœli substantia, multo nobilior fulgidiorq́ue ignis, æquali per omnia claritate,vt in qua nulla lucis in globos contractio facta est,quod ideo factum apparet quod totius naturæ oiconomiam,conuexitate firmamenti terminare voluerit Deus,ideoq; diuisionem illam aquarum firmamento commissam scribi, vt naturæ opera ibi terminari,& vltra eius summam extremitatem,nimirum primi mobilis conuexum non exire, sed intra illud in vniuersum contineri intelligamus,extra illud conuexum autem, omnia quieta & immota esse.

Ad quid verò ista aqua supercœlestis,hoc lympidissimum cælum sit creatum,dicam quod mihi probabile est visum. Angelos creatos esse nemo est qui ambigat,quandoquidem nihil est ab æterno præter vnum Deum,reliqua omnia sunt creaturæ & initium habent. At quando creati sint hi,non facile est dicere,ante mundum creatos non esse,inde conuincitur, quoniam in principio creauit Deus cœlum & terram,hoc est informem massam cœli & terræ matrem,quod si creatio à massa illa cœpit,non potuerunt angeli primum creari.Cum tamen stellæ lucidæ in firmamento collocarentur iam tum erant,sic enim alloquitur dominus Iob cap.38.v.6. Quis iecit lapidem eius (terræ)angularem,quum laudarent parirer stellæ luminis, & iubilarent omnes filij Dei, filij Dei non potuerunt alij esse quam angeli,nondum enim tunc creatus erat homo, quod si angeli Deo creatori laudem cecinerunt, cum terram super lapidem angularem firmaret ille, & simul cum illis laudarunt lucentes stellæ,ergo tertio die fuerunt angeli, fuerunt q́ue stellæ,licet necdum absolutæ:primo enim die mane cœperunt creari,& quarto die fuerunt perfectę,fuerunt ergo multò plus quam semiperfectę,& intenso iam lumine fulgere incipiebant,Deumq́; in suo obsequio laudare atq; glorificare. Quod autem locus ille in Iob v. 6.ad diem creationis tertium pertineat, facile intelliges, si duos præcedentes versus conferas. In priore enim loquitur de prima fundatione terræ,quando videlicet locum quietis illi dedit Deus,centrum vniuersi,quod verè basis terræ existit. De hac fundatione loquitur Dauid Psa.103,v.5.dicens:Fundasti terram super bases suas,ne moueat se in sæculum & in sæculum. In altero loquitur de figura quâ terra pondere suo ex omni parte æqualiter centrum appetente nacta est,videlicet sphærica. Sexto autem versu primum adhuc de basi terræ profundissimam facit quæstionem, quo modo videlicet centrum illud,quod basis est grauium,sit fixum, cum sit in medio fluxi & mobilis aëris pendulum. Mox de superstructione loquitur,quæ in altum attolli solet, & angulis ædificiorũ præcipuè innititur, quis, inquit, lapidem angularem iecit,qui molem in altum ascendentem sustineat.Vides tres partes collocandæ & firmandæ terræ, eo ordine quo in creatione sibi mutuo successerunt, in quæstionem duci. Primo enim creato chao,in centrum subsidere terra cœpit,secundo subsidendo sphæricam figuram accepit,tertio ex siccata tandem terra supra aquas eminuit,atque ibi firmata est, etiam altissimis subinde montibus supra aquas pendentibus,de qua firmatione sic loquitur Dauid Psal.23.v.2. Quia ipse super maria fundauit eam,& super flumina firmauit eam.Hæc terræ altissima fastigia, quis tanto supra aquas interuallo extulerit,atque ita fundarit,vt non corruant,& ad naturalem suum locum redeant, interrogat versus sextus, secunda parte. Cum igitur horum firmitudo & stabilitas sit facta tertio die,cum terra sicca & solida firmaq́ue redderetur,omnino apparet angelos ante completã illam siccitatem & firmitudinem, nimirum secundo die,creatos fuisse. Et quadrat huc elegantissimè aquarum supercœlestium creatio,secundo die facta,ex quibus angelos creatos esse sit verisimillimum,nulla enim in omni creatura aptior ad hoc substantia fuit, quam limpidissimus ille & igneus aër,in quo sedem & habitaculum illis esse voluit conditor, nec aliud elementum illorum corporibus conuenientius erat,quam vnde spiritum erant haustura.Et Paul.Hebr.1.testatur,angelos esse spiritus & flammam ignis,hoc est spiritus limpidos in modum clarissimæ flammæ,qualis ferè est cælo empyreo substantia,vt videantur angeli quasi stellæ ex aquis supercœlestibus creatæ,sed animatæ,rationales,& in ministerium Dei susq́ue deq; se mouentes. Vnde vocantur angeli lucis,hoc est,angeli lucentes,ex luce creati,& in cœlesti luce habitantes,ac cum magna lucis claritate hominibus apparent,vt pastoribus Luc.2. v. 9.& mulieribus Matt.28.v.3. & Petro Actor. 12. v.7. Finis secundi diei.

FABRICÆ MVNDI

Caput decimum.

De congregatione aquarum elementarium, & terræ ad generandum præparatione.

TERTIVS DIES INCIPIT.

TErtio die dixit Deus: Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum vnum, & appareat arida. Non est Mosis sententia,quod eo tertio demum die hoc dixerit & separare cœperit,sed quod eterna eius voluntas fuerit,vt hoc die terræ & aquæ diuisio perficeretur & terra exsiccaretur, proinde & supra aquas altius emineret,aquis intra sinus illius receptis,quo venturis animalibus sedes & habitaculum,horreumq́ue esset ad omne alimentum suppeditandum. Quæcunq; in Deo sunt, æterna sunt, vocantur diuidendi quemadmodum creandi ab æterno fuit,& item hoc die complendæ diuisionis æterna fuit,& cum absoluta fuerit,factam eam ab æterno voluit & approbat in æternum. Stat sententia,cuius illum pœnitere non potest,quæ redargui,quæ emendari,quæ melius concipi non potest,quoniam infinita

infinita est eius sapientia & prudentia,quæ mutationem consilij & voluntatis nullam admittit.Quoniam ergo hoc die completa est diuisio; Dixit:inquit Moses, Deus,ab æterno videlicet, vt fiat diuisio & appareat arida,hoc est tantisper fiat diuisio,donec appareat arida, Et quando apparuit arida?Nunc tertio creationis die;subiungit enim: Et factum est ita,nũc nimirum post secundum diem,quem iam ante completum dixit,& ante finem tertij diei,quem post vers. 13. concludet. Quod si inchoatam & perfectam pariter diuisionem vno die quis comprehendere velit, quæ erit in creatione ordinis & legis naturę constitutio,cum nũc succesliuè & per causas ac consequentia media illã operari videamus? Necessario tum sequetur Deum omnia creasse, præterito omni ordine & lege naturæ,atq; hæc postea ipsi naturæ præscripsisse,atq; indidisse, quod absurdum planè est & impium cogitare. Res enim suam naturam & legem operandi,secum ex creatione adferre debent, nisi Deũ in creando aut consilio aut potentia non satis valuisse sentiamus. Igitur cũ secundo versu aquas forti flatu mouerit,intelligimus illum naturalem causam sequentibus operibus instituisse,& iam inde terram ab aqua segregari cœptam, hoc autem die tertio hanc segregationem perfectam & completam fuisse. Hac segregationis causa naturali obseruata,simul inequalitatis terræ,& sinuum maris causa innotescit,idem enim venti impetus APHAR illud principio creatum, ita ex diuersis partibus euasit, vt vehementer in altum tolleret,atq; hinc subsidentem terram in altum colligeret,inde vero profundas maximasq; valles & cauaturas efficeret.Cogitabis ergo ea parte qua nunc est mare Atlanticum,vehementissimũ ventum in APHAR incubuisse,similiter & ea parte ferè, vbi nunc Asia & noua India dirimuntur,eosq; ventos vastas ibidem excauationes terræ subsidentis feciſſe,& in altas continentes illã cumulasse, varios item hinc inde turbines ortos,qui minores cauaturas effecerint,& vndis vtrinq; in altũ subuectis,terram in montes congesserint. Ita collidentibus vndis,& terram ab aquis segregatam,& per medias regiones in montes collectam altissimos intelliges. Sic per Aphricam mons Atlas, & montes Lunæ, per Asiam mons Imaus & montes Caspij,cæteriq; passim montes,haud dubiè nati sunt. Aquæ autem post longam agitationem ab omni terra defœcatæ,& in cauitates illas collectæ resederunt,vbi termini eis posuit Deus,vt ait Dauid Psal.103,v.9.nimirum cum grauia omnia ad centrum mundi quã possunt proximè accedant,& aqua quæ fluxa & labilis est,non potens accumulata consistere,quemadmodum terra potest,semper illa ad decliuiorem locum labitur, quousque in imo ad libellam se constituerit,vnde per se ascendere nequit, nisi fundum occupante grauiore. Inde fit vt aquæ omnes,non obiectis altioribus repagulis in mare defluant.

Hic iam cogitandum est,solem lunam q́ue & reliqua sydera eousq; collecta & compacta esse, vt in natura sibi indita vires intensiores habere incipiant, iam enim in tertium diem lucis claritate ac virtute naturali creuerunt, proinde in exsiccanda terra plurimum illam adiumenti adferre certum est. Ventus etiam vtcunque adhuc per aërem spirans, humores à sole excoctos & extenuatos è luto eduxit, vt duabus de causis terra exsiccaretur, & in maiorem soliditatem coalesceret. Sic vt habet Dauid Psalm. 23. firmauit Deus terram super aquas, siccitate videlicet & soliditate, sine quibus ipsa fluxilis permansisset, & ad imã relapsa aquis natura sua subsedisset, vtpote grauior,& illas in altum cedere coegisset.Cæterum hanc terræ siccitatem,non absolutam intelligere oportet, sed mediocrem,quanta ad terræ stabilimentum, & ad plantarum creationem sufficeret, siquidem antequam plueret,creatæ fuerunt herbæ,quæ succo indigent,& homo ex luto formatus fuit die 6. Quin & hoc considera, si omnino sicca fuisset terra, non potuisset in altos montes attolli,& consistere, humor enim aliqualis terram compingit, illo autem expers, omnino dilabitur vt arena, neque etiam gignendis ijs quæ in visceribus eius efficere voluit Deus, idonea fuisset. Obseruandum etiam hic est, quanta prudentia fuerit creatoris in excauandis sinubus illis, aquarum receptaculis,ita enim maria per vniuersum mundum distribuit, vt omnia regna mundi inter se mutuo tractare commercia, & quæ natura,aut ars dederit, quouis transuehere possint, tum vt quod maximum est, terra cum aquis collectis vnam efficiens sphæram,in suo æquilibrio permaneret, alioqui enim terra non fuisset supra aquas firmata,sed plus ponderis in vnam partem collectum, totam terræ massam versus centrum grauitatis & mundi depressisset,aquasq́ue ex altera parte incumbentes illa terræ depressio altius in sublime sublatas defluere fecisset, & terras proximas occupare. Postquam enim terra aquis in eadem quantitate grauior est,necesse est primum terræ corpus per se in æquilibrio consistere. Deinde maria orbem terræ ambientia, & inter se communicantia sic distribui, vt vndequaque in æquilibrio iacentes,non plus ponderis adferant in vnam sphæræ medietatem, quocunque tandem circulo illam finias,quam in alteram illi oppositam. Si non communicassent maria, sed quædã proprijs sinubus conclusa mansissent,potuisset terra aliquo modo,etiamsi non per omnia in se ipsa æquilibris consistere. Quod enim in vna eius medietate defuisset ponderis, suppleuissent aquæ in eadem conclusæ. At cum vsus & officium marium postularet, eorum inter se communionem, propter necessariam circumnauigationem, idem etiam postularet fluminum exoneratio, quæ per solam marium communicationem,æqualiter & iuxta æquilibrium, in omnes sphæræ partes distribui poterit,necessarium in primis fuit,quod dixi,terræ per omnia æquilibrium, neque potuisset aquis illud compensari: illæ enim in parte leuiore altius cumulandæ fuissent, quam in grauiore, proinde & defluxissent, donec æqualem vndique à centro altitudinem nactæ fuissent. Quodsi has, aquas æquilibriũ compensantes,ita circumuallatas demus,vt effluere non possint,tamen duo inconuenientia sequuta fuissent, vnum quod corruptioni obnoxiæ,vicina infecissent,nec rebus humanis debitum vsum præstitissent,alterum quod vel in viscera terræ exsuctæ,vel exhalatione paulatim extractæ,locum suum

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 23 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

deseruissent,& æquilibrium totius abstulissent. Quod si ratione aliqua, ibi conseruari posse aquas, contendat aliquis,respondebimus frustra per plura,operosiora, inutiliaque ex reliquo media fieri, quod sine huiusmodi & compendio,& vtilius fieri potest. Quamobrem stat sententia machinam terræ in se ipsa æquilibrem esse,& ex consequenti etiam mare, quod illius sinubus continetur,tum etiam hoc continuo moueri, ne corrumpatur & inficiat aërem, ac pisces interficiat. Quin etiam terram intus ac foris diluit,vt munda & salubria sint omnia,corruptione omni,motu & attritione consumpta ac diffiata. Hęc omnia importat centri grauitatis & mundi constitutio,quæ si à veteribus cognita & examinata fuissent,de nouæ continentis,quæ nostro seculo inuenta est, deque meridionalis continentis,quæ nec dum explorato polo Antarctico subiacet,situ & magnitudine prope verum iudicassent. Etenim cum terræ veteribus cognitæ 180. gradibus longitudinis comprehendantur,hoc est, dimidiam tantum sphæram occupent,necessarium erat tatundem terrarum in altera medietate extare. Et cum Asia,Europa & Africa pro maxima parte vltra æquinoctialem,versus boream sint sitæ, necesse erat tantam continentem sub antarctico poli existere, quæ cum Asiæ & nouæ Indiæ, siue Americæ partibus meridianis, reliquis terris æquiponderaret.

Terram sic,vt dictum est,ab aquis segregatam & animalium vitæ apparatam Deus, inquit Moses, vocauit EREZ,hoc est terram,& aquas collectas IAM,id est maria. Non est autẽ putandum quod statim separatione hac facta,hæc nomina protulerit, quemadmodum necantea dixi, noctis & cœli nomina,cui enim ea dixisset,cum nec dum,homo cuius hæc opera cognoscere maximè intererat,creatus esset? nisi quis angelis dicta contendat. Cæterum aliud & grande mysterium hic insinuari persuasum habeo, videlicet immensæ dilectionis, amantissimæque & beneficentissimæ conuersationis Dei cum homine,quem singulari propesito ac studio creauit, testimonium. Existimo enim hanc nominum patefactionem non hoc die, sed postea in familiari colloquio Adamo factam, significare. Etenim cum Gen. 2. v. 19. animalia ad Adam adduceret Deus, vt illis nomina inderet, non dubium est,quin latior ipsi sermo fuerit,& de creatione rerum pluribus cum illo egerit, lucem, diem,noctem,cœlum,terram,mare,solem,lunam,præcipuasq; mundi partes nominando,quò posteris veram totius opificij historiam tradere possit,vt etiam illa ab Adamo ad Mosen vsq;,mediocriter conseruata fuit. EREZ vocabulum(vt Augustini Eugubini verba referam)propriè designat,quod celatur, à verbo RAZAZ, addita iuxta idioma hebraicum litera aleph, quod consilium creandæ terræ demonstrat. Creata est enim vt ab animalibus nobilissimis, quibus omnia creabantur, calcaretur. IAM,id est consonans,fremens,tumultuans,fit à verbo HAMAH,quod fremere,vociferare,ac stridere significat. Igitur ex hac Augustini deductione liquet EREZ & IAM, talem terram talesq; aquas, quales nunc sunt terra,quæ animalibus terrestribus est pauimentum, & euntibus, quiescentibusq; sustentaculum præstat,ac mare vastum,quod ex congerie fluminum collectum perpetuò fluit ac refluit, sonitum stridoremq; efficiens. Et quidem terra cum à terendo dicatur, proprissime voci EREZ, respondet. Aduerte & hoc quod ibidem Augustinus monet. THEHOM ab eodem verbo HAMAH deriuari,adeoq; abyssum frementẽ & tumultuantem signare,ex nominis ergo significato intelligis ventum illum discretorium,de quo cap. 7. differui,statim à principio in chao fuisse, nec alium ibi spiritum quam statum hunc,totam molem exagitantem intelligendũ esse, proinde & naturali partim modo discretionem aquæ & terræ factam fuisse.

FABRICÆ MVNDI

Caput vndecimum.

De creandorum quadruplici gradu & ordine.

HActenus ea tantum sunt creata, quæ ad generationem eorum pertinebant, quæ homini ad vitam sunt necessaria, quæque eorundem domicilia erant futura, hoc est, elementa ex quibus, aut ea,quorum opera illa erant generanda & sustentanda. Diuidit communis sensus creata omnia in tres classes,aut potius gradus,in ea quæ sunt,ea quæ vegetantur,& ea quæ sentiunt: quæ diuisio si recte intelligatur & expendatur,elegantissimè speculationi nostræ conuenit,eamque plurimum iuuat, & sapientiam adfert. In primo gradu non oportet nudam essentiam sine omni forma & qualitate aut que efficacia,qualem somniant primam materiam philosophi intelligere, nihil enim tale creasse Deum ostendi, sed illa cogitanda sunt, quæ quæcunq; sint virtute aut potentia,tamen sine omni sunt motu,ita vt vbicunq; iaceant,stent,pendeant,immota per se maneant,nec augmentũ sibi vllum assumant,vel vt planius dicam,quæ in se vim crescendi non habent,sed vt natura primum formauit, ita sunt & manent,nihil in se vitæ habentia,In 2. gradu sunt omnia quæ in sese primum vitæ gradum habent,videlicet vim vegetandi & crescendi,nec altius ad vitam ascendunt. In 3. gradu sunt quæ præter vegetatiuam,etiam vim sensitiuã habent,ac propria virtute,pro sensus conditione,se mouent. Hucusq; ex prima materia procedunt creationis gradus, & quia animũ hominis,quo solo à brutis differt, non ex prima materia,sed priuatim & singulatim à deo creari vulgo credunt,hominem ipsum cæteris animalibus annumerant,& in 3. creaturarum gradu comprehendũt. At vero cum suo loco ostendero,etiam animum hominis ex prima materia per intermedios perfectionis gradus deduci,quartũ in illo creaturarum gradũ constituendum esse patebit. Est itaq; primus gradus eorum quæ sunt,2. eorum quę sunt & vim habent vegetatiuam,primum vitæ gradum,tertius eorum quæ sunt,vegetantur, &

& sentiunt,atque ex sensu mouentur voluntariè,quartus eorum quæ sunt,vegetantur, sentiunt & intelligunt atq; ratiocinantur,aut breuiter, 1. quæ sunt,2. quæ crescunt,3. animalia quæ sentiunt, 4. quæ intelligunt & ratiocinantur,superiores enim gradus inferiores complectuntur. In hos 4. gradus oportet philosophantem diligenter animum intendere, & ordinem creationis his gradibus ascendentem & progredientem obseruare. Neque tamen cogitandum est, omnia quæ sunt primi gradus,procreata fuisse ante ea quæ sunt secundi,non enim lapides pretiosos & metalla ante herbas existere necesse fuit. Hoc enim statuendum est in primis,ea primum creanda fuisse,quæ hominis vsus mox postulabat,gemmæ & metalla etiamsi diu post hominem sint nata, nihil incommodi adferre potuerunt. Verum dices mihi,ante septimum diem creata illa esse oportuit,recte dicis,sed attende ea tum creata censeri,quando terræ mandauit Deus ista generare, terra enim constituta est mater horum, & mater manet,penes se & ex se semen concipit,vnde illa perpetuo generet, ac pro sua fœcunditate suo tempore perficiat,at tarditas perfectionis nouæ specici generationem non remoratur, quia ipsa vltima est,nec consequenter generat. Quod si gemma gemmam, & metallum sibi simile,debuisset procreare,tum vim specificam & seminariam oportuisset metallo & gemmæ indi, quod creatoris erat non terræ, sic vtique ante septimum diem gemmæ & metalla perfecta esse, & virtutem specificam sibi à Deo inditam habere debuissent. Quod si ordinem in Genesi mundi expressum obseruemus,tertio id die cum herbis faciendum fuisse videtur,similis enim fuisset in vtrisque generandi modus,& vterque in eodem gradu,vegetantium scilicet,numerandus fuisset, adeoque pariter adoleuissent. Itaque cum horum seminaria ratio penes terram maneat, licet adiutrix & fortasse formatrix aliqua virtus ex cœlestibus accedat, censendum est,horum creationem tum perfectam fuisse,cum seminaria ratio & vis generandi, terræ à domino impressa fuit, quod nihilominus eodem hoc 3. die, iuxta naturalem rerum progressum, factum credibile est, cum terra sufficienter solidata fuit, & astra iam proximè suam formam complecuerant. Nullum igitur inconueniens inde nascitur, si metalla & gemmæ & quæcunque similiter à terra genita,propriam sui propagandi vim non habent, post aliquot demum annos, procreata dicantur, & fuerint, cum ratio seminaria & vis specifica, principio terræ indita fuerit,quæ generationem complent.

Hic iam duplex generationis ratio occurrit,quæ prudenter distinguenda venit, vt ne iustus creationis ordo in Genesi manifestè conspicuus turbetur, & ordinis quoque ratio per omnia constet. Vna est ipsius speciei,quæ semper sibi simile profert, vt equus equum,ouis ouem,&c. vsque ad finem mundi,quia ex propria substantia,& per propriam generandi vim, de cuius supra omnem modum admirabili mysterio sequenti capite dicemus. Altera est quæ non sibi simile,sed specie differens,pro qualitate spirituum diuersi generis concurrentium gignit. Sic terra,aurum,sulphur,plumbum,&c. generat,sibi dissimilia & alterius speciei,cuius vim in se habet ex creatione, non autem postea nec aliunde nisi ab opifice creatore acquirit. Vides ergo duplicem generationem specierum, quarum quæ à specie ipsa sit, speciei etiam intra sex dies creationis perfectionem requirit, quo specificam illam vim generandi à creatore accipiat, quam nec terra nec cœlum, nec aliqua prius creata species dare potest,solius creatoris est eam vim creatis speciebus indere. Propterea versu 22. etsi aquæ primas species piscium & volatilium produxissent,non tamen illis totis earundem specificam vim perpetuam & propriam fecit, sed eandem vim in propria materia earundem specierum ex aquis sumpta,inchoatam cum animalibus ipsis perfecit, ijdemque impressit atque indidit, dicens: Crescite & multiplicamini,& replete aquas maris,volatile quoque multiplicet sese in terra. Quæ vero species hanc benedictionem non acceperunt,eæ neque ex se multiplicari possunt, sed accidentariam quandam generationem habent aliundè, nimirum ex certo elemento, aut elementis quibus eam generationis vim Deus indidit,tunc haud dubiè, cum perfectam speciem nacta propriam quæque naturam propriumque spiritum adepta fuerunt,quemadmodum & animalibus perfectis eandem vim indidit. Quamobrem cum harum specierum specifica vis, elementis iam perfectis impressa sit, non opus fuit lapides,gemmas,metalla & reliqua eiusmodi,ante septimum diem in conspicuum proferre, eorum enim creatio iam in elementis facta erat,nec vltiore creatione opus habebant, eorum generatione naturaliter iam ab elementis pendente.

Iam hisce rerum gradibus constitutis,secretioris philosophiæ studiosus diligenter perpendat, qui horum sint nobiliores,& quo ordine,quibusq; & quot mediis,ad suę speciei perfectionẽ adducantur. Quoniam autẽ intellectus & ratio aliquid supra sensum & virtutẽ motiuam addit,& hæc plus habet quam vegetatiua,rursus hæc primus eorũ quę sunt ad vitã accessus existit,facile intellectu est,hos gradus quo ordine enumerantur,eo etiam à natura formari ac nobilitari. Exemplũ omniũ in hominis generatione habemus,in quo vis specifica à parentibus semini impressa,eique innata primũ corpus & viscera format,quæ tantisper dum cor formatur in primo consistunt gradu,at mox corde formato vegetam naturam induunt,& alimentũ ad se trahere ac crescere incipiunt,post hebdomadas autem circiter sex,tertium adepta gradum,se mouent,ac tum quidem nullum intellectus siue animæ rationalis vestigium,in fœtu licet deprehendere,necessariò tamen animæ rationalis substantia, etiam in primo conceptu illi adest,si generari illam à parentibus concedimus, at formatur tum illa adhuc,& postrema

postrema vt nobilissima perficitur. Procedit ergo omnis generatio ab ignobiliore ad nobilius, & summo cuiusque speciei fastigio perficitur, nec vltra ascendit. Nihil enim suæ speciei metam supergredi valet, quia vires ei vlteriores datæ non sunt, sed benedictio generationis, ipsa specie terminatur. Sic ea quę sunt tantum, quantumuis in suo genere nobilitate cętera excedunt, ad crescendi tamen potentiam non pertingunt, quæ vegeta sunt, alia quidem aliis sunt nobiliora, verum ad sensum non peruenium, & animalia quorum in sua specie vestigium est sensus & motus, ad intellectum non pertingunt, hic enim superat omnia, & Dei refert imaginem. Hunc nunc eundem ordinem obseruabis, lector, in rerum creatione seruatum esse, hactenus enim creauit Deus ea quæ sunt, deinceps ex his ipsis assumpta nobiliore substantia, creabit ea quæ sunt secundi gradus, nimirum herbas & plantas, deinde animalia, quæ sunt tertij ordinis, & in his primum quæ ex aquis sunt & ignobiliora, postea terrestria, quæ subtiliore & siccore, calidioreque spiritu dotata, subtiliora etiam sunt sensu, & ad intellectum nonnihil accedunt, denique hominem ipsum, qui cæteris omnibus ratione & sapientia dominaretur, Ita nobiliora posterius creantur, quia nobiliore ac magis defecata digestaque materia egent & proinde tardius perficiuntur, natura quæ prius creata est, iuxta suum genium & modum ab idea Dei inditum semper operante. Est autem idea Dei opus sapientiæ eius, voluntas ordinis, virtutis & proportionis, rerum creandarum & sustentandarum. In summa, si quis intentius ordinem rerum perscrutetur, & specierum communionem differentiamque consideret, intelliget creationem rerū ab ima & ignobilissima specie sic fere sursum ascendere, quemadmodum arbor primum vnicum habet truncum, in quo omnia quę sunt à radice ad summum vsq; sunt vnum communione speciei, singulis interim partibus suas in eo venas habentibus, cum vero ad aliquam differentiam incipiunt accedere, sit prima trunci diuisio in ramos, ramus deinde quilibet vnus aliquandiu existens, donec in diuersum illius venæ abeant, fit secunda diuisio ac sic deinceps, donec ad extremos ramos & fructus peruentum fuerit. Ita chaos vnicus omnium specierum creandarum est truncus, radicem & initium in vniuersali idea creatrice, quæ est in mente & voluntate diuina, habens. In hoc trunco omnia adhuc vnum sunt, in seminaria ratione chai latentia & communicantia, porro vt vniuersalis illa idea creatrix rerum, per diuisionem in determinatum specierum numerum & formam sese paulatim ascendendo diuidit, ita ex vna simplici incomposita specie chai, paulatim specierum differentiæ oriuntur: tanti sper enim omnium destinatarum specierum substantiæ vnà manent, donec in eo in quo communicant perfectè ad differentiam vergunt, inde quę adhuc communicant, vno ramo contentę cohærent, donec in propriæ speciei viam perueniant, suam quæq; altissimam siue extremam & perfectam speciem sectantes, sic omni vndequaque veluti per omnes creaturæ ramos facta excoctione, distillatione, defecatione, extenuatione, sublimatione, aut quocunque tandem modo, actus iste ad supremū operationis scopum tendens nominandus est, tandem ad singulas species conceptas peruenitur. Cæterum id memoria tenendum est, quæ superioris sunt gradus tardius perfici, quandoquidem per intermedios gradus ascendunt. Sic animal cum tres ascendat gradus, nimirum per esse, & per vegetam speciem vsque in sensum & motum, necesse est vegetantia vno gradu prius perfici. Ita enim de idea illa in Deo vniuersali cogitandum est, illam in creatione ita suas impressiones facere, vt à trunco incipiens, ordine inconfuso ac recto tramite, paulatim per nobiliores & nobiliores ad summæ speciei productionem tendat, & quæ vnius sunt gradus simul perficiat. Deinde quæ sequentis & nobilioris, vt in creatione plantarum, animalium & hominis videmus. Iam species quæ in vno gradu consistunt, siue vnius sunt generis, vt in plantarum genere salix & quercus, gradibus quibusdam excellentiáue aut nobilitate inter se distinguuntur, quamobrem perfectius aut nobilius quid, tardiusque effectu est in vno quam in altero, inde fit quod tardius quercus quam salix crescat & adolescat. Non minus tamen quercus quam salicis creatio tertio die fuit absoluta, nam vt mox videbimus vis specifica simul cum germinante herba nata, plantæque per ideam formatricem impressa est, duobus enim his creatio eorum quæ sibi simili sunt gignitura, absoluitur, specie ipsa & specifica, hoc est, propagandi speciē virtute, quæ deinde sequuntur incrementa & fructuum generatio, opera sunt ipsius speciei naturalia, virtutem illam & creationem consequentia. Hic autem meminisse oportet, quod septimo capite diximus. Mox vt materia rei alicuius parata fuit, simul species rerum inde creandarum nata est, tametsi res ipsa serius adoleuerit, vt sol primo die cum lucem Deus crearet, creari cœptus est, cum quarto demum die perfectus fuerit, sic paratis aquis, tertio die species piscium creari cœperunt, & exsiccata terra species animalium terrestrium, cum hæc quinto demum die perfecta fuerint, sic tertio die species quoque herbarum & plantarum creari cœpta est, licet quarto demum die absoluantur. Moses enim tempus absolutorum operum tantum notat. Simul ergo species plantarum & terrestrium animalium, perfecta eorum matre terra, natæ sunt, sed quæ solidioris erant substantiæ tardius absoluta, vt quercus quarto die serius adoleuerit quam herbæ. His de gradibus & ordine rerum creandarum consideratis, ad plantarum creationem veniamus, quæ est altera pars operis huius diei tertij.

FABRICÆ MVNDI

Caput duodecimum.

De herbarum & arborum creatione, & Spiritali substantia.

Postquam

POstquam tertio die, primò separauit aquas, quæ sub cęlo sunt à terra, durante adhuc flatu, alterū opus huius diei sequitur, creatio herbarum & arborum, de quo nunc agemus. Quandoquidem homini, & cæteris animalibus ex herbis & fructubus viuendū erat, ad secundum rerum gradum, qui est primus vitæ, procedit creatio, & quia in illorum alimentum erant transitura, modum inuenit Deus, quo multiplicarentur per semen & vim specificam, quibus Deus benedixit, vt sufficerent omnibus animalibus, etsi enim non addatur benedictio multiplicationis, ea satis intelligitur facta ex eo, quod reliquis creaturis eam adiecit, & ver. 29. 30. omnibus animalibus ea in escam donat. Benedictio autē quæ exprimitur, piscium & auium est ver. 22. Crescite & multiplicamini & replete aquas & terram. Et hominibus dicit, v. 28. Crescite & multiplicamini & replete terram & subijcite eam, atque dominamini piscibus maris, & volatili cœli, & omni bestiæ reptanti super terram. Parata igitur terra ad generationem, dixit Deus: Germinet terra germen, herbam producentē semen iuxta speciem suā, vt habet sequenti versu, hoc est, ex quo eiusdē speciei herba nasci potest, & arborē fructiferā, facientem fructum iuxta speciem suam, cui insit semen suum super terram, hoc est, faciat fructum in quo nascatur semen eiusdem speciei, interea dum crescit arbor super terram, ex quo eiusdem speciei nasci potest arbor. Cum inquit germinet, certum est non statim, vt dixit, herbā & arborē perfectam fuisse, sed ex puncto & veluti atomo terræ, non aliter quam ex semine (quod exiguum cum sit, omnem tamen virtutē suam in minima sui parte & gemmula, quæ altero fine comprehenditur & latet (per specificā Dei ideam & benedictionē pullulauit, germinauit, & sensim in adultam plantā aut arborē excreuit.

Postquam nunc ad primum gradum vitæ peruenimus, necesse est spiritalis substantiæ, à qua vita sua am originem habet, naturam & conditionem rimari & prosequi. Vt omnia per euaporationem & exhalationem ex chao, orta dixi à capite sexto, deinceps ita paratis nunc elementis ad generationē, & cœlestibus ad influentiam, virtutum atomos siue minimas particulas aquæ & terræ assumpsit omnipotens creator, quibus specificam vim iuxta ideas, & pro numero idearum in sapientia sua comprehensarum indidit, & addidit sibi simile generandi benedictionem, vt multiplicarentur eadem perpetuò specie conseruata. Est autem spiritalis substantia, nobilior cuiusque elementi aut corporis generatiui pars, quæ attrahendo alimentum, in suam naturam conuertendo, & ad incrementū corporis protrudendo vim ex benedictione & natura habet. Sic terra, aqua, aër, & cætera corpora ex se spiritalem substantiam exhalant mediante calore, quę à specifica seminis substantia, in eandem naturam & speciem conuertitur, & incrementum, aut motum, aut sensum pro conditione speciei suppeditat. Similis substantia cum in visceribus terræ generatur, & intra terram suam speciem profert, non incrementum speciei adfert, sed in ipsam coagulatur & colligatur, in solubilis ab ea, nec aliorsum exhalat nullum sui odorem nec virtutē effundens, nisi attactu & operatione permanentis qualitatis. Sic autem in quantitate spiritalis substantiæ coagulatur, nec accipit incrementum, quin potius à calore sul phureo contrahitur, vt fiat ponderosissimum. Lapides similiter generantur. Herbæ & arbores cum crescere debeant, molle & ductile alimentum habent, proinde & odores & virtutes exhalant, & tandem paulatim consumuntur cum crescendo maturuerint. Hæc spiritalis substantia sola est, quæ speciem seruat: (intellige quæ in planta est, non quæ extra) hæc enim primum ab illa attracta mutatur in speciem, deinde alit & conseruat, & quamdiu nihil ipsam speciem corrumpit, tam diu alit, semper eosdem characterismos, foliorum, florum, ramorum, fructuum, odorem, saporē, colorem & reliqua accidentia conseruans, adeo pertinaciter, vt si surculus vel gemma alteri plantæ inseratur, ibi quoq; suam indolem sequatur, omne alimentum in suam speciem mutando. Quodlibet autem alimentum sic attractum in formam eius partis, ad quam vltimò peruenit, mutatur. Sic succus arboris cum ad fructum peruenit in speciem fructus mutatur, cum ad folij, in folium abit. Et alimentum animalis cum ad epar vltimo attractum est, in epar transit, cum ad musculi alicuius radices, in eius substantiam transit, & sic de omnibus: quodque autem membrum ad se trahit, quod illi magis est idoneum. Quædam autem quæ corpori alendo inidonea sunt, natura expellit, alia in crines, alia in vngues, alia in scabiem, alia aliter aut plane extra corpus. Quædam quæ occulta vi, visceri alicui sunt appropriata, naturali affectu eo tendunt. Propterea diuina admodum res est, ista seminaria & spiritalis substantia, in qua omnis specifica vis & conseruatrix virtus à creatione inest, in qua omnis corporis motus animali necessarius mediante corde cietur. Cor autem primum ab ipsa formatur in meditullio animalis, vt omnibus eius extremis illius virtus sit præsto, & semen simile ad generationem præstat, vt eiusdem speciei maneat continuatio vsque ad finem rerum. Illud autem sciendum est & considerandum, ipsam speciem non ab astris fluere, sed ab eo cui Deus primum indidit, & ad generationem benedixit: adiumento quidem sunt astra, sed omnium specierum origo & radix est in his inferioribus. Cum autem mundus hic sit vt veluti vnum corpus, partes inter se harmonicas & in vnum conspirantes, quem admodum & singula animalia, habens, ad cuius & Dei exemplar, homo tanquam microcosmus sit conditus, & imaginem Dei referat, & oiconomiam partium similem, credibile est, mundum quoq; solem tanquam suum cor habere, veluti principium omnis vitæ, & à principio, cum lux crearetur, initium habuisse & idem officium in mundo, intra conuexitatem firmamenti præstare, quod cor in homine, omnia sursum & deorsum suo calore & lumine fouendo, & propterea in medio illius mundi (paulo altius vt cor in homine) constitutum esse.

FABRICÆ MVNDI Caput 13.

De Ligno vitæ.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 25 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

TAlem seminariam speciem toto terrarum orbe, vbi ad hoc idonea erat elementi temperies, dedit, vt nusquam illius speciei virtus deesset, non enim locum mutant plantæ, & animalium more do, per terras ambulant, sed suo loco consistentes semen maturum ibi proijciunt, neq; transplantandi hominibus data fuit cura, vt quibus omnia sponte offerebantur necessaria. Cumq; nihil frustra & sine causa sapientia Dei creârit, quod non ad aliquam vitæ necessitatem sit vtile, certissimum est nullum esse morbum, nullum naturæ defectum, cui non propitio remedio prospexerit. Quamobrem tot species plantarum pullulare & enasci fecit, quot conseruandæ & sustentandæ hominum vitæ & omnium animalium opus erat, & lignum vitæ in medio paradysi collocauit, vt homo quousq; mandati exercitio & obsequio diuinior factus, in cœlum transferetur, eius vsu vitam salubrem conseruaret: sic & bruta animantia suæ naturæ subsidium quærunt, Hirundo Chelidonium, Catus Nepetam Buso Plantaginem & Saluiam, Canis gramen, Testudo Cunilam, Mustela Ruthum, Ciconia Origaganum, Perdix Parietariam, quæ & Perdicium dicitur, Accipiter Hieracum, Columba verbenacam, Pica quoq; ægrotans dicitur lauri folia in nidum congerere, quo morbos illis arceat, sic Ceruos credimus Dictamum herbam, quod eius pastu telum eiecisset, sagittarũ vulneribus mederi, ostendisse. Ceruas Seseli herbã demonstrasse arbitramur, & Fœniculũ nobilitasse Serpentes, nam gustatu & esu ipsius senectam exuere, oculorumq; aciem succo eius reficere scimus, quod & pluribus liceret ostendere, quandoquidem natura ipsa animantia docta, plurimarum herbarum vires sibi cognitas mortalibus indicarunt. Tales autem species plantarum in quaq; regione creauit, quales hominibus & animalibus ibidem natis, temperatura conuenirent, quod comperimentis sepenumero probatũ est, ita vt ex sola plantarum nascentium frequentia animaduerti ferè possit, quibus morbis popularibus, nimirum ἐνδημίοις, quelibet regio subiecta sit. Ita apud Danos, Phrysios, Hollandos, quibus Scorbutus dictus morbus frequens, istius quasi proprium medicamentum Cochlearia scilicet copiosè prouenit, Ita vbi in paludosis locis Tamariscus natale solum agnoscit, plerumque lienis ibidem vitijs expositi sunt incolæ, quod ex lurido colore, qui in tumescente cute illis efflorescit, hypochondriisq; inflatis videre licet. Eodem modo obseruatur, quibus in pagis circa sepes in areis frequens Absynthium luxuriat, in isdem habitatores naturalium viscerum obstructionibus, ventriculi infirmitate, suffusione bilis plurimum affectos, vt facile, nisi prędictę herbę vsu, viscerum meatus reserantur, extersaq; bile eadem roborentur firmenturq;, in lcterum primum, paulo post in Aquam intercutem exorbitent. Et licet quędam sint inimica & venena quibusdam, suo tamen modo adhibita, sunt salutaria, sic ex pessimis venenis sit nobilis theriaca, & nihil est tam alienum à natura hominis conditum, cuius vsus alicubi non sit vtilis. Nunc de semine agamus. Ex atomis terrę per opus sapientię, ideam Dei ac bene dictionem, creauit Deus herbas & plantas, sic autem creauit quemadmodũ nunc ex semine illa nascuntur, eadem enim est primę generationis, quę secundę, operatio, cum sit & maneat eadem species.

Quemadmodum ergo ex semine nascitur planta, ita & ex atomo terrę, per ideam formato in certam speciem, & è contrario. Ex semine autem gemmula altero fine comprehensa, qua parte seminis apicem facit, humorem terrę aut aquę attrahit & radiculam vnam aut plures facit, pro ratione speciei, perq; eas alimentum attractum in alterum sui finem, truncum generat, & consequenter quę trunco adherent rami & folia, specifica autem vis est in gemmula illa, quę omne attractum alimentum in suam naturam & speciem mutat. Eadem est ratio in atomo terreo formato per ideam, non enim aliter suam germinationem facit quam semen. Porro illud alimentum attractum vt magis sursum fertur, magis etiam ac magis in formã eius, quod inde nascitur alteratur, in ramos à trunco diuisos, in folia, in florem & in fructus. Perfectissimus omniũ est fructus in quo absoluitur semen, quod ad multiplicationem speciei datum est. Et superiora per calorem ad adolescendum excitata, succum ab inferioribus trahunt, radix autẽ nonpotens sufficiens alimentum superioribus administrare, nouas attrahendi colligit radices, per quas copiosius alimentum colligit. Hinc consequitur, quę plantæ plures habent radices, eorum superioramaiore alimento opus habent, & fructus sunt humidiores, nisi radicum potior sit vsus, quam fructuum, in quo sapientia diuina animalium vsui prouidit, sic herbæ, quarum radices esui destinatæ sunt, plus succi attrahunt, & radices succulentiores sunt & crassiores, natura præcipuè radicibus incrementum non herbis procurante, & quæ longiores sunt, eæ sicciores pinguioriśque ferè sunt substantiæ, vtquæ siccius alimentum in profundo quærunt. Multa ex accidentibus & proprietatibus radicum obseruari possunt, quæ ad naturam, earundem & herbarum, disquirendã pertinent. Defertur autem succus attractus in herbis sursum, per partes nondum alteratas, in arboribus vero per corticem, vtpote spongiosum magis, donec ibi longiuscula mora alteretur à vicina parte, & quod nobilissimum est & defecatius, sursum in flores, fructus & semen attollitur. Multæ hic indaganti occurrẽt speculationes. Quod vero sic, vt dixi, sursum feratur succus attractus, docent nos insitiones surculorum in arboribus, in iis enim attractus humor primum surculorum cortici communicatur, vbi moram faciens cortices surculorũ corticibus stemmatum vnit, & post lignum ligno connectit, sed species quæ in stemmate est, mutatur in speciem surculi inserti, sic iuxta mandatum Dei eadem species semper eadem producit, siue ex semine, siue ex surculo insito, & consequenter iuxta illius speciei naturam ramos, folia & fructus ac semen profert. Non inutile etiam consideratu est, quanto tempore: & quanto à terra interstitio, fructu, & semen adolescat, & quibus humoribus plantæ circa radices delectentur, quos refugiant, & si possibile sit, quo pacto succus alteretur per singulos gradus, in radice, in trunco, in foliis, in floribus, in fructu, in semine, sic enim speciei naturæ exactius dinosceretur, saltem hoc in confesso est, alimentũ plantæ multo nobilius esse in fructu quam in planta, nobilissimum autem in semine, vt quod copus est totius creationis illius speciei.

Ex

Ex iam dictis colligitur, alias herbas & arbores in alijs regionibus creatas esse, & experientia docet, alias in America siue Noua India esse, quæ nusquam in hac nostra continente, Asia, Africa, & Europa reperiuntur, quæ tantisper in hominum vsu non fuerunt, donec eò aliqui emigrarent, quod postætatem Christi & Apostolorum factum, opinor: similiter & animalia ibi sunt, quę in nostra continente minime inueniuntur, quæ haud dubiè à creatione mundi ibi extiterunt, vnde suspicor eas terras diluuio obrutas non fuisse, cum hominem delere vellet Deus, Gen. 6. vsque ad v. 7. non enim ibi erant homines, proinde nec animalia ibi creata, ibiq; habitantia delenda erant, vt periret homo, quem condidisse pœnitebat, propter causam in animalibus non repertã. In ista vero nostra continente perire animalia debuissent, nisi aliqua in arca fuissent seruata, quia in aquis viuere nõ potuissent.

Quum igitur virtutes ligni vitæ, sparsim toto orbe condidisset Deus, eadem opera vtrique hominis statui consuluit, obedientiæ & peccati, nec vis lignivitæ in paradiso, aut per orbẽ sparsa, frustranea fuisset. Impleto enim hominibus mundo, non omnibus ad lignum vitæ patuisset accessus, sed æquiualuissent herbæ ac plantæ sparsim natæ, & fuisset homini certus delectus, & benedictio omnẽ morbum auertisset. Cum igitur ad vsum & ministerium hominum sapientissimè creata essent, in superiore simul ac inferiore mundo, quam pulchra harmonia tum fuit? vbi ima supremis consentiebant, & ab illis opem expectabant, suprema imis sua dona conferebant, & omnia homini subseruiebant, donec à Deo in cœleste habitaculum transferretur. Hæc oeconomia, hæc pulchritudo status, inuiolata permansisset, si Adam non peccasset, eadem tamen harmonia, si quis diligentius attendat, in primæ naturæ vestigijs adhuc deprehenditur: nihil enim tam exiguum est, quod non alicui seruiat & à perfectiore dependeat, omnia propter hominem sunt, ad scopum ergo cũ omnia tenderent, & scopus ille, homo inq;, ex varijs partibus constaret, quæ tamen consentientissimam inter se harmoniam seruarent, vtpote in qua vita consistebat, alia stomacho, alia epati, alia cordi, alia sanguini, alia renibus, &c. subseruiebant, quamobrem tot erant simplicia aut plantæ, quot viscera in homine, & quot viscerum affectiones. Et quum vnumquodque ens attractum alimentum in suam speciem mutet, & sint diuersę stationes in corpore humano, & diuersæ viæ ad singulas extremas stationes per quas alimentum meet, puta in ventriculo, in epate, in sanguine in liene, &c. ea simplicia sunt fortiora, aut citius tanquam amica medias stationes pereant, quæ virtutem suam integram ad extremas deferunt, & ibi operantur, quæ vero illic à natura alterari non possunt, ea aut venena sunt, aut naturæ molesta. Quæ in primis stationibus alterantur, amica sunt naturæ, aut exiguæ virtutis. Quæ integra virtute ad extremas stationes penetrant, amica naturæ existentia, ea sunt quæ illi membro aut visceri magis sunt appropriata, & quosdam characterismos habent, ex quibus dignosci possent, si quis diligentissimè perscrutetur, Videmus enim eas quæ magnam naturæ similitudinem habent, etiam in figura communicare, sicut cepæ & allia, & quæ his similia sunt, bulbos habent pro radice, & similem fere herbam fursum generant, si flores colore differunt, hoc pro singularum peculiari proprietate & aliquali differentia fit. Sic multæ sunt herbæ & arbores, quæ folia in ambitu dentata in modum serræ habent, quæ eadem de causa sic germinant, proinde simile aliquid habent in natura, in quo conueniant: multæ item herbæ & plantæ, folia in ambitu minime dentata, sed æqualiter circumscripta habent, multa dentata in acumen abeunt, multa in rotundos veluti lobulos, vt ruta, multa in aciem duram & pungentem, veluti taxus, omnia diligenter obseruanda, siquidem non casu talia sunt, sed ita perpetuo producente natura: quamobrem cum nihil temere natura producat, & eiusdem figuræ eadem perpetuo creata est causa, necesse est multa certa specierum lege similia esse, & natura aliquo modo communicare. Amplius cum cœlestium & terrestrium in eundem scopum, hominem, sit conspiratio & societas, cœlestia autem sint æterna, species etiam in hoc inferiore mundo sint æternæ, eadem semper in figura & forma generationes habent, & singulæ à propriis in cœlo causis dependent: vtile est in characterismos plantarum intendentes, multa in vnum astrum respicientia, multa item eiusdem naturæ apud medicos peritiores participia colligere & perspicere, in quibus figura, colore, sapore, cæterisque qualitatibus sibi mutuo respondeant, sic enim ex similitudine de natura rerum iudicare discet. Est enim cuiusq; naturæ proprius character, quem perpetuo seruat, aspirante consimili in cœlis natura. Hæc pro mea qualicunque speculatione lectorem admonere volui, quò rem longe vtilissimam, in qua Salomon multam laudem 3. Reg. 4. cap. v. 33. adeptus est, suis studijs adiuuet. Quæ enim præ oculis sunt, & perpetuò eandem legem naturæ, in figura & forma sectantur, quid in studio & industria peruestigare possent? Operosum quidem est, sed omnia vincit labor. Audiui ego industriè & solerter admodum, de herbarum characterismo disserentem Illustrissimi Principis Iuliaci Medicũ doctissimum, Reinerum Solinandrum, qui vtinam in tam necessaria philosophiæ parte pergat aduigilare (si quisquam potest, ille potest, qua est dexteritate ingenij in perscrutanda natura, & causis rerũ) breui apodixes characterismorum haberemus, & occultas singulis visceribus approprietatas.

Itaq; dum vbique virtutes ligni vitæ constituit Deus, recte Psalmista inquit psal. 110. Magna opera domini exquisita in omnes voluntates eius, semper ad scopum præconstitutum opus suum dirigit, siue primo mandato obediat Adam, siue non obediat, idque in summa sapientia, misericordia, bonitate & iustitia.

Postquam pro meo exili intellectu de natura & varietate plantarum egi, vnum est summum naturæ miraculum, quod tam multa quæ sunt in singulis speciebus, verbi gratia, magnitudo, forma, figura. odor, sapor, color, folia, nerui, radices, cortex, vis, & infinita quæ vni plantæ insunt, in tã exigua seminis gemmula, quam dixi, latet: vis enim tota speciei, in illa gemmula absconsa est, cum gemmula illa

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 26 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

nihil in se talium habeat, ne vestigium quidem vllum, sed sit totum homogeneum, & eiusdem planè naturæ appareat, quamobrem mihi rectè iudicare videor, ideam simplicissimam quæ principiò formauit semen, adhuc speciem comitari, & eandem operam continuare, quousque cesset generatio. Et hoc est quod Christus dixit: Ioh. cap. 5. v. 17. Pater meus vsque modo operatur & ego operor, quò licet sabbatum à creatione sit, non tamen à sustentatione creaturarum, sed quod opus illud duret vsque ad finem rerum. Non video quid aliud hic dici possit. Qui huius speculationis studiosus est, præcipuè attendat, quæ accidentia cuique speciei sint propria, & horum causas, si potest, perquirat, in primis de figura, & eius incrementum à radice vsque ad summum quo ordine fiat, respiciat, quo pacto per corticem, per venas & neruos foliorum, vsque ad ambitum eorum procedat & distribuatur, & cuiusq; naturæ characterismum proprium, tandem haud dubiè inueniet. Finis tertij dici.

FABRICÆ MVNDI Caput 14.

De luminarium creatione.

QVARTVS DIES INCIPIT.

CReatio luminarium licet quarto demum die perfecta fuerit, primo tamen die creari cœperunt, id liquet, quia non est aliud lumen quod diem à nocte distinguat quam solis. vt v. 14. proprietas illi asscribitur, & iam tres dies elapsi sunt, quare illud lumen, quod primũ diem à nocte distinxit, haud dubiè solis futuri lumen fuit sparsum adhuc, sed contractum in hemisphærium cœli, totũ chaos ambientis, & ab initio super polis mundi versatilis, ita vt primo die simul cum luce cælum eiusq; motus creari cœperit, versu enim 4 diuisit Deus lucem a tenebris, quod non nisi collectione luminis in vnam partem cœli, eiusq; circumductione in paradiso, diem & noctem præstare poterat, quia igitur dies noctem sequitur, necidit creatio lucis primum in illam medietatem, quæ erat sub horizonte paradisi, vbi intensior & collectior facta, motu in occasum facto, ab orientali paradisi parte supra eius horizontem ascendit & diem fecit. Quarto autem die collectio substantiæ solis & lunæ & stellarum demum perfecta fuit. Moses enim tempus absolutorum operum describit, quod à perpetua voluntate Dei dependet & definitur. Debuit tamen sol, quem cor mundi esse dixi duodecimo cap. ante omnia creari, vt in animalibus, proinde cum prima lucis creatione inchoatus est. Sol autem lucidissimam substantiam nactus dominium diei obtinuit, luna noctis, vtquę non suo lumine noctem illustrat, sed solis, habet tamen etiam proprium lumen, sed exiguum, etiam in vniuersali eius eclypsi, aëre claro, adhuc apparet eius circulus, sed luce admodum tenui, stellæ autem & reliqua astra intensius lumen habere videntur, sed longè infra solem. Illud obseruandũ est quod luminaria collocata ait in expansione cœli, & v. 7. expansionem vocauit cœlum, vnde colligitur chaos multo minus creatum esse, quam nunc sit mundus, & ex APHAR ac veluti luteo abysso chai, eductam & extenuatam materiam sursum latam esse, & paulatim vt longius à centro recessit, subtiliorẽ & nobiliorem factam & expansam, crassiora elementa circumdedisse, ita cœlum empyreum subtilissimũ & nobilissimum factum est, vtpote thronus Dei & habitaculum beatorum, sub illo primum, mobile cœlum paulo crassius & ignobilius, sub illo reliqui cœli & planetæ, quanto terræ viciniores, tanto densioris ignobiliorisque substantiæ, minus expansæ, ita vt crassissimum sit lunæ cœlum, & conditione elementis proximum. Hæc expansio facit superiora leuiora, & segregatio à crassiore nobiliora. Porro lucida materia quæ astrorum & luminarium substantiæ parabatur, non extensa sed contracta fuit, vt tanto fortius lucerent & conspicua fierent, ita sit vt astra densioris sint substantiæ quam reliquum cœlũ, æquè tamen leuis, quod igneæ, & densioris quidem, quo fortior & potentior sit lux & radiorum ab alijs astris proiectorum reflexio, quæ noctem illustrat, præcipuè à luna reflexa, solis autem directa lux diem à nocte diuidit. Præter hæc duorũ luminarium officia additur, vt sint in signa & tempora & dies & annos. Hic astronomi per signa intelligunt certos syderũ aspectus, per quos futura designantur, ac toto errant cœlo, longe maius est cuius causa hęc luminaria sunt condita, quã varia astrologorum vaticinia, nimirũ vt homines quos Deus in suo ędificio collocauit, omnipotentiam & bonitatem creatoris sui cognoscere discerent, quod Dauid Psal. 18. v. 1. luculenter indicat, dicens: Cœli enarrant gloriam Dei, & hæc (quæ cum admiratione spectantur) opera manuum eius esse annunciat firmamentum. Et Paulus ad Rom. 31. v. 18. in eandem sententiam de gentibus loquens: Quod, inquit, de Deo cognosci potest, manifestum est in illis, Deus enim illis patefecit. Siquidem quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur, ipsaq; æterna eius potentia & diuinitas. Sunt ergo luminaria duo hæc præcipuè in cœlo constituta, vt per hæc Dei opera, omnipotentia, maiestas, & diuinitas creatoris, hominibus innotescerent, non vt vanitati astrologorum seruiant. Sunt præterea data ad designationem temporum, quando illa sunt mutanda, sic finem temporum, & mundi iudicium, indicabunt, cum obscurabuntur ac dissoluentur. Sic tempore passionis Christi, cum tempus legis mutandum esset, admirandam solis eclypsim Dionysius Areopagita vidit. Et Iosiæ admirandam Dei manum sensit per solem, Iosue cap. 10. v. 13. Sunt item posita vt dies & annos definiant, corsum inquam illuminant terram etiam, stellæ quæ nocte cœlum ornant, & solis annum ambitum suo positu monstrant. Finis quarti dici.

FABRICÆ MVNDI Caput 15.

De creatione piscium & volatilium.

QVINTVS DIES INCIPIT.

SEcundo gradu rerum creato, iam de tertio agitur, de ijs quæ sunt, vegetantur & mouentur, & primum de ijs quæ ex aquis, quæ minus solidæ sunt substantiæ, facilius crescunt, & minus diuturnæ sunt vitæ, quæ in multas species diuiduntur, & singulæ suæ speciei semen intra se generant, ex quo maturo & proiecto, eadem species nascitur, cuiuslibet autem speciei indiuidua, eosdem semper characteres habent, adeò vt idem semper sit numerus & figura ossium, idem color, eadem forma corporis & reliquorum membrorum, eadem vis & natura & sapor, quemadmodum & in herbis & plantis: diuersæ autem species, diuersos habent characterismos, in figura vel aliquo accidente differentes, cuius differentiæ si causam colligere possis, propriam cuiusque speciei, naturam propius contemplaberis; propria enim cuiusque speciei natura differentiam characterismi efficit, & hæc illam sequitur, vt ex effectu causam, & ex causa naturam colligere liceat. In volatiliũ contemplatione eadem occurrunt considerandа: quia autem auium est solidior substantia, & per consequens viuacior, posterius etiam hoc die earum opus completum est, licet simul formari cœperint, aquis in maria collectis, parata enim cuiusque materia, continuo progressa est creatio, nec cessauit donec perficerentur omnia, & sabbatum ab omni creationis opere adesset; nulla enim causa subest, cur parata materia, creatio rerum suspenderetur, æque multa atque vnum creat Deus, & ordo naturalis rerum creandarum eleganter obseruatur. Astra etiam quæ propius ad vitam conferebant, iam præcedente quarto die perfecta fuerunt, vt operam suam iam validius conferre potuerint, quam cum herbæ crearentur: sic natura rerũ creatarum, mox vt parata fuit, suum officium exequi cœpit, & simul omnibus cooperantibus fabrica mundi processit. O admirabilem sapientiam, quæ tot diuersissimarum rerum ordini, naturæ, ornatui, perfectioni & viribus condendis suffecit, sine studio & ratiocinatione: Dixit enim & facta sunt. Proderit hic singularum specierum anatomiam facere, vt in quibus characterismi singulorum differant, cognoscatur, & quo pacto, & quot stationibus in speciem muretur alimentum, qua statione sanguis crescat in piscibus. Inuenies etiam in piscibus prouidentia Dei, vesiculam plenam incluso aëre, quæ cum pisce incrementum suscipit, cuius officium est, quacunque parte aquæ pendulum sustinere, ne ad fundum corporis grauitate mergatur. Inuenies etiam in fœmellis oua multa, quæ attritione ad scopulos facta, aut alioqui naturali vi effusa, speciem multiplicant, & quemadmodum semen plantæ extra matrem (cum in se virtutem specificam habeat) proiectum, in suo elemento, terra aut aqua, eandem speciem profert; ita & hæc oua piscium in aquam proiecta, vitam suscipiunt, & eandem speciem ac characterismum matris exhibent. Aues etiam singularum specierum secare, & internas partes ac munia singulorum perspicere nõ erit inutile, vt causæ characterismorum, & naturæ propriæ origo rectius cognoscatur. In quibus singula oua vicissim procreantur, & tecta duriore crusta (ne vis specifica facilius exhalet) excluduntur, quæ etiam à matre separata suam vim specificam seruant, & fœta calore matris, aut etiam hypocaustis, vt in Aegypto visitatum est spacio sex hebdomadarum aut mensis, suæ speciei aues producunt. Porro maris & fœmellæ, sicut cætera animalia, congressu concipiuntur. Potissimum autem hic attendendum est ad differentiam piscium & auium, quod licet vno eodemque die perfecta fuerunt, non tamen ex eadem materia constent, sed quia volatilia similiora sunt terrestribus animalibus, vt ex sanguine & rota corporis constitutione manifestum est, plus terreæ substantiæ quam pisces habent, vt ex lutosa aqua nata videantur, & pisces ex puriore aqua. Sunt igitur volucria media ordine inter terrestria animalia & pisces, propiora naturæ terrestrium animalium quam piscium, proinde serius hoc die perfecta. Vnum autem in omnibus animalibus obseruatu dignissimum est, quod figuram hominis aliquo modo imitantur, quasi tota natura ad hominis formationem tendente, & in homine demum omnibus numeris perfecta. Caput enim licet longius sit, omnibus ad sensum & motum instrumentis similibus quodam modo dotatum est, cranij ossa similia, spina dorsi spinæ hominis vtcunque respondet, & costæ costis, formataque sunt omnia membra pro natura & operatione cuiusque. Finis quinti dici.

FABRICÆ MVNDI Caput decimumsextum.

De animalium terrestrium creatione.

SEXTVS DIES INCIPIT.

TErtij gradus duo genera vidimus, pisces & aues, sequitur nunc tertium genus, animalia terrestria, quæ quo tardius creata sunt, eo similiora sunt homini quo ad sensum & motum: in ratione autem homo omnia in vniuersum superat, vt quæ nihil huiusmodi habent. Sunt autem animalia terrestria, alia aliis homini similiora, vt de Elephantis scribunt, docile illud animal esse, & ad intellectum quodam modo accedere. Quid de Simia dicemus? quæ actiones humanas imitatur ludibunda, irascitur, ridet, applaudit, cogitabunda olfacit, versando inspicit, quasi deliberans si esui conueniat, nuces dentibus confringit velut homo, & interim

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 27 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

dum sua agit, circumspicit quid astantes moliantur, caput, pedes, & manus similes admodum humanis habet,& per omnia plurimum inter animalia characterismos imitatur hominis;huius ratione consultum est illius anathomiam diligentissimè perspicere, & examinare quantum interior dispositio,& in quibus ab hominis interioribus differat,quo animales virtutes,ex interiorum characterismo,innotescant. Existimo enim illas ab hoc dependere,aut speciatim à natura inditas,per hūc tanquam idoneum instrumentum in opus excitari,quod tamen ambiguum videtur. Apparet enim vnumquodq; in se suæ naturæ principium quoddam habere,quod tamen cum intereunte interit, ita vt causa cuiusque naturæ ipsi rei concreata sit,& non aliunde insit. Facienda est autem cuiusque speciei anatomia,quò omnium inter se animalium differentia interna perspiciatur, & differentiæ virtutum animalium ex diuersitate characterismorum innotescant:sic inuenies quibus de causis virtutes animales excellentiores sint in volatilibus quam in piscibus, in terrestribus animalibus quam in volatilibus,in homine quam in terrestribus animalibus, & deprehendes elegantissimum ordinem à minus solidis ad solidiora,ab imperfectiore ad perfectiora, à minus viuacibus ad viuaciora,à temporarijs ad æterna. Vescuntur omnia animalia è terra natis, vnumquodque quod suæ naturæ conuenientius est, cuius naturaliter delectum habet, & hoc scire est vtile. Etsi enim natura cuiusque,alimentum in suam speciem mutat,aliquid tamen virtutis inest herbis & fructibus, quod autem ad suam naturam vtcunque flectit & immutat, præcipuè vbi est affinitas naturarum, & digestio facilis, quinetiam venena immutant,sed vi contrariæ naturæ,& corrumpunt. Aues etiam piscibus vescuntur tanquam cognatione affinitatis, & vnumquodq; suæ naturæ propinquiore gaudet, eadem specie excepta,quæ à singulis animalibus colitur,præterquam ab homine suæ originis oblito. Habent venenosa animalia,præterquam quod naturam alicubi vtilem possident, hoc commodi,quod passim venena ad se trahunt,iisq; aluntur, ipsa autem ab alijs absumuntur sine noxa, ita natura animaliū incolumitati prouidit. Vna autē hic relinquitur quæstio soluenda: vtrum ea quæ nunc est, animaliū natura & conditio futura fuerit,si homo non peccasset? Moritura haud dubiè erant absoluto vitæ periodo,& sibi mutuo in cibum futura,alioqui multiplicationem illorū mundus non potuisset capere, & quorsum immortalia fuissent,cum tantum seruitio hominis destinata essent, cum tot indiuidua multiplicata nulli vsui erant futura? hominem autem reuerita fuissent eique obedientia, Gen. enim 1. cap. v 28. 29. 30. constituit Deus Adamum dominum omnium quæ sub cœlo sunt. Et Gen. 2. v. 21. fecit Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, quas mortua animalia procul dubio dederant, cessauerat enim Deus iam antea creare.

FABRICÆ MVNDI
Caput decimumseptimum.

De hominis creatione,& prima ac principali creationis intentione.

QVartus gradus creandorum & perfectissimus, est homo, in cuius vsum & seruitium hactenus omnia creata sunt,& quemadmodum illa omnia inter se ordinem & harmoniam ad mutuam opem habent,ita & hæc simul omnia ad hominem certā in natura,qualitatibus & operationibus conformitatem & harmoniam habent, & propterea homo microcosmus à græcis appellatur. Est autem hæc conformitas & harmonia, quantum ad animal hominis attinet. Porro nobilius quiddam multò in homine est, quod omnium creaturarum dignitatem excedit, nimirum anima rationalis,secundum quam ad similitudinem & imaginem Dei conditus est, & quia homo secundum substantiam est animal rationale,& benedictionem accepit vt crescat & multiplicetur,generatione videlicet suæ speciei: non est dubium,quin ex ea benedictione, etiam generandi animam rationalem, potentiam acceperit,quæ præcipua est speciei pars, quam in singulis hominibus de nouo creari minimè conuenit,cum 7. die Deus ab omni creationis opere cessauerit, & sabbatum egerit. Et sunt in hoc inferiore mundo adhuc reliquiæ eius materiæ, ex qua cœlestia & supercœlestia creata sunt, vt sit superioris mundi ad inferiorem naturalis inclinatio & sympathia, & inferioris ad superiorem respectus & desiderium,hinc enim & superiorum ad inferiora procliuitas & cooperatio dependet. Nobilissimum autem quod in superiore est mundo, est cœlum empyreum, siue aquæ supercœlestes, ex quo creatos ostendi angelos,vt etiam ex huius in hoc inferiori mundo reliquijs,generari possit anima rationalis;& quid ni possit, cum ex multo crassiore & ignobiliore materia terræ aurum, quod est incorruptibile generetur. Aeterna igitur & immortalis anima multò magis ex supercœlestium aquarum reliquijs generari potest,vt sitsimilis angelis, & benedictio ac mandatum Dei ad generandum, ac multiplicandam speciem,potentiam generandi animam ex talibus reliquijs dedit. Iam vide quæ dona spiritus sancti siue Dei, sint in hac anima: sunt intellectus, ratio, iudicium, memoria, amor verè boni, iustitia, gaudium in spiritu sancto, libera electio voluntatis, & si quæ sunt alia. In his enim similitudinem Dei habet, & imaginem in immortali animæ rationalis substantia. Creatus autem est homo hoc ordine & modo. Primum ex A P H A R siue luto figuram humanam plasmauit, in qua haud dubiè ea viscera quæ primum in generatione fiunt, vt cor, deinde epar, & quæ immediatè à corde pendent, formari cœperunt,quibus formatis inspirauit,

inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Per os & nares viuentia omnia spiritum attrahunt, quo cor accenditur vita & motu, ita per nares & os flauit spiritum, in quo haud dubiè erat ex reliquijs aquarum supercœlestium, aut prius in corporis compage aliquid earum conceptum erat, ex quo ānima rationalis à comitante spiritu sancto tandē formata est, prius tamen per communem aërem vita animalis procurata est, non enim eadem anima rationalis est,& animal viuificans,siquidem diuersa habent munia,& præeunte animalis anima,manet rationalis,& est animalis anima certa harmonia & communis operatio interiorum visserum,ad vitam animalis consspirans,rationalis autem imago diuinæ essentiæ. Quod autem animalia vitam sunt nacta, simili aëris flatu operante spiritu Dei haud dubiè factum est, tamersi id non dicatur, in similibus enim similiter Deum operatū esse facile intelligitur. Dona quæ anima rationalis secum attulit,necessaria erant in homine, si imago Dei esse debebat, vt opera Dei contemplaretur,& creatorem suum agnosceret, veneraretur & coleret,cognitio enim Dei requirebatur ad scopū creationis hominis, quæ enim beatitudo ei apud Deum fuisset sine eius cognitione? Cum ergo summam Dei potentiam & bonitatem cognosceret,& suauis illi esset contemplatio & familiaritas Dei, voluit Deus in illo experiri,an qui maximis donis ab illo ditatus erat,quibus Deo obsequi poterat,Deum creatorem suū agnosceret ac reuereretur: voluntariam enim & spontaneam obedientiam & dilectionem requirebat tam beneficus pater,qua colendus esset,& gratum ille Deo obsequium fecisset: facillimum illi præceptum imposuit, ne ex vna arbore, vbi tam multæ erant optimorum aspectu & sapore fructuum ederet, ab ea sola abstineret, & credibile est illum Deo aliquandiu obsequutum esse, non enim vna hora tantum, vt senriunt quidā, aut diebus aut hebdomadis aliquot in paradiso permansit. Quin potius verisimillimum est aliquot annis in eo Dei volūtate permansisse, vt sentit Georgius Cedrenus,quo opera Dei adminiculo Spiritus sancti & contemplatione diuturniore firmiter edoctus,illa posteris suis enarrare posset. Cum igitur longissimæ tum essent vitæ homines, vera Dei doctrina paucorum traditione, nimirum triū, Adam Mathusalem, Noe, ad Abraham peruenit, cuius deinde sacro cum Deo fœdere, facile ad Mosem vsq; in posteris Iacob reseruata est. Verum sub eius ortum nimium inualescente idololatria, voluit Deus per Mosem primorum operum suorum descriptione, homines ad vnius Dei agnitionem & cultum reducere. Genesim igitur mundi, quam ille partim ex traditione, partim ex reuelatione Spiritus sancti descripsit, hic contemplari est propositum, quo veram & integram totius orbis descriptionem, quam indagamus, assequamur. Fuit illi proculdubio frequentius cum Deo colloquiū, in quo de creatione mundi, de natura rerū, de Dei proposito, & alijs, quæ homini scitu erant necessaria, eruditus fuit, adduxit illi Deus animalia, vt singula perspiceret & nomina imponeret iuxta naturam eorum, quæ tam exiguo temporis spacio fieri non poterant. Author est Georgius Cedrenus in compendio historiarum, antiquos quosdam sentire, quod Adam septimo demum anno peccarit, & paradiso eiectus fuit,& efficacibus rationibus id probabile esse ostendit.

FABRICÆ MVNDI Caput 18.

De lapsu Adami.

INterea dum paradisum habitaret Adam, familiarior Deo factus, forte non satis grauiter præceptum Dei ponderans, satanæ aures arrexit,& diu patienter audiuit, qui inimicus factus Deo, quod iusto eius iudicio cœlo eiectus esset, homini insidiatus est, persuasit ei mandatum Dei in alium finem, quem ipse à Deo non audisset, datum esse, quum tamen sciret Deum creatorem suum veracem & iustum esse, nec frustra mandatum dedisse, serpentem vero mendacem, & iustè cœlo eiectum esse. Non enim dubium est, quin multam cum Deo in paradiso conuersationem & varia colloquia habuerit, in quibus de creatione & scopo rerum omnium & natura edoctus fuit, potentiam etiam Dei ex tam sapienti creatione,& recto serpentis iudicio agnouit, vt merito serpentem non audire debuerit: fecit insipienter, in hoc tamen contra Deum non peccauit, quia Deus hoc non prohibuerat. Etenim faciebat ad maiorem Dei gloriam, si Adam tentatus non peccasset, tum enim certum testimonium homo exhibuisset de se bene creato, vt erant omnia valde bona Gen. 1. v. 31. Poterat serpentis sermonē interrumpere, eumq; abijcere,& non peccasset. Initium quidem ad peccandum, non tamen peccatū fuit, quod satanæ aures præbuit, Deus enim hoc non prohibuerat, & adhuc potestatem contradicendi obtinebat, sed diutior patientia & familiaritas consensum peperit, & continuo peccauit transgrediendo mandatum, quo offensus Spiritus sanctus, illum suis donis quæ in creatione acceperat,& à spiritu donec non peccaret, sustentabantur, reliquit, Deo euentum spectante, at non approbante, quia prohibuerat, Adamo vero de sua constantia experimentum faciente. De hoc lapsu verissimè & planissimè scribit Ecclesiasticus cap. 15. v. 16. Deus hominem creauit ab initio, cumque arbitrio consilij sui permisit, si volueris mandata seruabis, optimæq; voluntatis fidem præstabis. Ignem & aquam tibi proposuit, ad vtrum voles manum tuam porrige, vita simul & mors proposita sunt homini, & vtrum cunque placuerit dabitur illi. Porro cum eum peccaturum Deus præsciret, cur non talem creauit, qui labi non posset? Deus omnia bene & paternè fecit, gratia erat, quod tam insignibus animi dotibus ornatus fuit, vt facile tam leui mandato obedire posset, & merito homo pro tantis donis suo creatori obediendo gratus esse debebat. Poterat ergo, vt asserit Ecclesiasticus, stare si voluisset, quod autem cecidit, illius est culpa, non prædestinantis aut volentis Dei, Deus enim omnia valde bona creauerat, & paternè disposuerat. Cum ergo peccauit, Spiritu sancto, qui antea illi familiariter cohabitabat, à quo vitam habebat non interituram si, non peccasset, priuatus est, qui

qui illum in vita sancta, gratia & fauore Dei sustinuer at, derelictus ergo familiari Spiritus sancti præsentia, nihil in se sensit quam affectiones carnis, à qua pertractus eius animus, vt ex Paulo liquet Rom. 7. v. 15 & sequentibus vsq; ad 24. factus est enim & ipse carnalis, hoc est concupiscentijs carnis addictus, vt in eadem constitutus hypostasi. Dicit enim aliam esse legem siue necessitatem in carne quã in animo, & eam animum captiuum in seruiturem trahere. Porro quod captiuum fit, non est sui iuris, sed alterius potestati subijcitur. Indicat igitur animum principio non fuisse carnalem, sed talem euasisse, cum captiuus fieret carni. Hanc peccati originalis originem planè necessarium est scire & obseruare, ne animũ ab initio carnalem creatum esse, aut fragilem & impotentẽ malis resistendi, hoc enim creatoris impotentiam arguerer, vt qui ad conceptum scopum, hominem idoneum creare non posset, & eius potestatem violaret. Iam quæ calamitates homini ex hoc peccato ortæ sint, discе ex loco Pauli allegato capit. 7. Si enim tantum potuit caro in tot donis ornatum animum, & à Spiritu sancto custoditum, quid non posset in eundem iam sibi captiuum factum, & à spiritus familiaritate desertum? Audi quid Apostolus Rom. 3. v. 12. de omnibus tam Iudæis quam gentibus dicat. Omnes declexerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui exerceat bonitatem, non est vsq; ad vnum. De natura humana loquitur sola, sed quando in Christo est, & à Spiritu sancto adiuuatur homo, non est talis, naturalia dona animi, intellectus, ratio, iudicium, memoria, &c. dona non sufficiunt, nisi adsit spiritus, horum sustentator & gubernator. Est autem carnis concupiscentia, non tantum priuatio iustitiæ, sed vera inclinatio ad ea quæ carni placent, proinde cum animus eiusdem inclinationis sit consors, nõ solum privatur iustitia, sed habet positiuum malum, nimirum perpetuam inclinationem ad carnis placitum, vnde omnia peccata oriuntur, & propterea dicitur illa inclinatio peccatum originale. Quod si priuatio tantum iustitiæ esset, non habuisset Paulus occalionem exclamandi. Miser ego homo quis me eripiet ex corpore mortis huius. Rom. 7. Renatus enim animo iam ereptus erat. Atqui etiam in renatis adhuc hæret peccatum originale, hoc argumentum est, peccatum originale plus esse quam priuationem & malum in natura hærens, quod per generationem propagatur. In peccatis, inquit Psalmista, concepit me mater mea. Præuidens autem Deus, hoc peccatum in homine oriturum, dixit. Quacunque die ex ligno scientiæ boni & mali ederis, moriendo morieris, morte enim corporis hoc peccatũ delendum erat. Itaq; omnibus semel mori lex est, quo quod præter creationem est deleatur in saluandis. De paradiso, vbi fuerit, & quæ eius flumina, in veteri geographia restituta demonstrabo. Homines extra paradisum creati in illum translati fuerunt.

FABRICÆ MVNDI Caput 19.

De secunda & subalterna creatoris intentione in creando homine.

QVia peccaturum Deus hominem præuidit, ne frustra esset tam sapiens rerum omnium creatio & ad destinatum finem scopus, quem Adam peccando violauit, nouo beneficio hominis lapsum resarciuit, viam constituit, qua à peccato liber, pristinæ conditioni restitueretur, & procederet prima creationis intentio, filium suum carnem assumpturum promisit, qui pro peccato Adami, quo omnes a generatione tenebantur, satisfaceret, Deum patrem pacaret, & Spiritus sancti auxilium iterum impetraret, quo promisso & credito eadem qua prius intentione vitam æternam assequeretur. Ex hac præscientia mirabili Deus vsus prouidentia, ita creationem omnium absoluit, vt in vtroque statu, obedientiæ & lapsus, homini ad vitam æternam consequendam seruaret, ita vt nihil frustra à Deo fieret, tantum maneret mors carnis, quæ peccato originali debebatur, quo illud tolleretur planè ab homine, & purus totus, vt creatus erat, ad Deum veniret, in finem ad quem conditus erat. Porro quia per peccatum originale omnes tenebantur, vt ostendi præcedente capite, quo minus per donaturæ ad Christum venirent, ordinauit Deus pœnitentiam, baptismum & synaxin, præcipua sacramenta, quibus homo coram toto mundo se Christo dederet, & fide eius pro peccatis hominũ sacrificiũ approbaret & acceptaret, quo contra vim peccati armaretur, hoc solo medio à peccati originalis potestate liberaretur, & contra eius vim, auxilium Spiritus sancti impetraret, durat tamẽ pugna cum peccato, quò ad viuimus, donec illud per mortem carnis (in qua eius origo pendet) aboleatur, ideoq; mors carnis à Deo iniuncta est, propter lapsum Adami, vt peccatum illud, quod præter creationem est, radicitus tolleretur, quo facto saluus est homo, non tamen patet accessus ad Deum patrẽ, nisi per Christum, Ioh. 3. v. 13. scriptum est. Nemo ascendit in cœlũ, nisi filius hominis qui descendit de cœlo. Via à Christo aperienda erat. Et oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam Luc. 24. v. 26. Ergo vt hoc hic non recte à multis controuersum adiiciam, ante incarnationem Christi, nemo piorum patrum in cœlũ ascendit, sed certo loco in gaudio & felici expectatione seruabantur, vsq; ad Christi aduentum. Hunc locum vocabant patres limbum, non inferni, sed paradisi cœlestis opinor, in quo Abraham, tanquam pater fidelium nominatissimus erat, in cuius sinum siue congregationem Lazarus post mortem ab angelis deportatus est. Post Christi mortẽ vero in cœlum adducti sunt, secundum eius testimonium. Pater volo vt vbi ego sum, illic & minister meus sit. Proinde ascendit Iesus Christus suo tempore, cum hac præda & captiuitate magna in cœlum. Peccatum ergo hoc originale & pugna cum illo, durat vsq; ad mortem carnis, sed per fidem in Christum contra illud munimur & seruamur auxilio Spiritus sancti, quemad modum Adam seruandus erat, si non peccasset. Propter eius pugnam cum animo hominis exclamat Paulus. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, (quæ ab illo intentatur) Gratias inquit ago Deo meo per Iesum Christum, quem pater saluatorem dedit, & per spiritum suum adiutorem, donec in morte carnis planè abolcatur. FINIS.



AMICO LECTORI.

Offerimus nunc tandem candide Lector Secundam partem Atlantis, primum nouæ Geographiæ tomum, videlicet septentrionalium Europæ terrarum descriptionem, à Gerardo Mercatore patre, piæ memoriæ inchoatum, & à me ad finem perductum: vtinã ea, qua optarem, perfectione. Inscriptiones singularum tabularum politici status ordinem continentes D. Bernardo Furmerio Leouardiensi, I. C. debemus; qui eas ex Richardo Stanihursto, Guillielmo Candeno, Dauide Chytræo & alijs nostri temporis scriptoribus, seruatis authorum verbis aut modice interpolatis, bona fide collegit, & nobiscum ingenuè communicauit. Quod autem in tabulis ædendis non rectum semper ordinem secuti sumus, vt qui Galliam, Germaniam, Italiam & Græciam prius, quam hasce, quæ primum locum obtinent, in publicum prodire insserimus. Id certe non casu, sed consilio ineuitabilis necessitatis factum est, vt ea ratione & sumptibus superesse, & reipublicæ consulere tabulis, maxime hoc tempore necessarijs, possemus: quemadmodum etiam Pater in sua præfatione ad Principem Iuliacensem, Lectorem admonuit. Quia autem singulæ, quæ æditæ sunt partes in se sunt perfectæ, ita vt totius orbis descriptione, quam molimur, absoluta, facile ynaquæq; in suum locum & ordinem redigi possit, non puto quenquam fore tam inhumanum, qui hoc factum nostrum, quod suasit necessitas, carpere malignè volet. Hoc autem beneuolum Lectorem rogatum velim, vt quæ generaliter præmisimus, ea hic repetere ne coganur, se eo remitti ne ægrè ferat. Ego verò iam tandem bonum & diu à me optatum initium nactus, posthac ordinem rectum non intermittam, sed Septentrionalibus emissis, secundum Nouæ Geographiæ tomum, id est, Hispaniæ descriptionem accuratam aggrediar, inde ad Africam, Asiam, Americam, & si aperiatur, vei spes est, ad tertiam continentem, quæ Magellanica & terra Australis dicitur, me accingam, & quod in hisce omnibus Gerardus Mercator Pater piæ memoriæ inchoatum reliquit (vt sunt plæraq; omnia) summo studio & industria pro virili, Deo conatibus aspirante, ad finem destinatum fœliciter perducam. Interim vt me suis itinerum observationibus & terrarum mariumq; lustrationibus docti & Geographiæ studiosi iuuare velint etiam atq; etiam obnixè rogo, meq; accepti beneficij non immemorem fore religiosè & sanctè spondeo. Vale Lector & fruere nostris Laboribus.

Tui studiosissimus

Rumoldus Mercator.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 30 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ELIZABETHAE
SERENISSIMÆ POTENTISSIMÆq; ANGLIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REGINÆ.

CVM Gerardus Mercator P. Ducis Iuliacensis, cum viueret Cosmographus, Serenissima Regina, ætatem in studijs Mathematicis & precipuè in Geographicis consumpsisset, et non paruam gratiam ijsdem apud omnes Europæ Dynastas inijsset, vt ea posteritati quoq; commendaret; operi suæ Nouæ Geographiæ, titulũ Atlantem fecit, vt & ipso nomine regis vetustissimi memoriam celebraret, & suo operi gratiam conciliaret. Ne autem Rex ille vetustus & à multis decantatus, aliquo hoc tempore parum commodo vel idoneo patrono in publicum prodiret, mihi filio eius magno perè cauendum fuit. Nam vt nõ satis est ædificium aliquod rectè collocasse, sed ad eius consummationem decorus ornatus etiam requiritur: Sic cum Atlantem Regem ædere cogitarem, eius secundam partẽ quæ Geographiam continet, tuæ Maiestati dedicare volui, vt per eam & ornatior prodiret, & à maleuolorũ morsibus tutior permaneret. Idque ea potissimum de causa feci libentius, quod vt in nomine Atlantis antiquissimus Mauritaniæ Rex, & docta in eo antiquitatis tempora nunquam intermoritura coluntur, ita æquum sit vt futura ætas ad eius exemplum, te Reginam Geographiæ nomine in perpetuum colat et celebret. Per te enim tuosq; subditos septentrionalium terrarum, quæ hactenus latuerunt notitia & illustratio primũ mundo illuxit, dum per aspera glacieq́; nitentia Neptuni regna, ad remotissimos Indos, inauditis nauigationibus instituis quærisq́; itinera: Quæ vt successu temporis procul dubio sunt fœlicem habitura exitum: ita non tantum Britannis tuis, sed etiã reliquis omnibus vicinis Europæ incolis, magnum aliquando fructum allatura sunt. Nec hisce contenta, nitidũ Regina virgo caput Arctoo polo tantum exeris alto: sed magnanimorum Thomæ Candishij, Francisci Draci, Martini Forbosheri & aliorum heroum, maritimis expeditionibus multa incognita admiranda q́;, de Regnorum ac regionum diuerso situ, de differentijs fluxuum, & refluxuum maris, de ventorum, cœli & aëris temperatura eiusq́; varietate, per vniuersum terrarum orbẽ detegis & illustras, vt speremus, hisce tuorum nobilissimis &

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 31 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

fama celebratissimis nauigationibus,non modo orbem Arcti cum verum etiam Antarcticum,qui tertia mundi continens adhuc in tenebris delitescit, breui patefactum mundo fore. Quod maximè optandum vt tandem vniuersæ terræ facies & forma,in hac mũdi senecta innotescat,& multiplicato humano genere, multiplicetur etiam ac crescat eius conuersatio & quotidianus commerciorum vsus:vtq; maiori cum admiratione,desiderio & ardore,erga omnes res à Deo in hominum vsum conditas inflammemur,indeq;,permoueamur ad gratitudinem Deo assiduè præstandã. Huc accedit quod Geographorum omnium ducem secutus, à remotissimis septentrionum terris & populis & præcipuè à tuis toto orbe celebratis Britannis,nouam hanc orbis terræ descriptionem, paucis tantũ sub polo,nullo adhuc regimine claris exceptis regionibus, ingrediar: Quorum populorũ tu Serenissima Potentissimaq; Regina,cum prima ac precipua sis rectrix ac moderatrix,certè nulli alij quam tuæ Maiestati hosce Patris mei, piæ memoriæ, labores dedicare debui, vt quæ Remp.tam fœliciter tamq; prudenter administres, vt superiores Reges,auos,atauosq; tuos multis parasangis antecellas. Quare vt accepti beneficij Geographia etiam (sine qua muta est omnis historia) gratitudinis testimonium longinquæ posteritati præbeat suum, ac æterna memoria tuę Maiestatis nomen celebret,accipe Serenissima Regina, quod tuum est, quæq; iure merito tuæ Maiestati debentur,hasce tuarum,ac à supremo Rege tibi concreditarum regionum à Patre meo elucubratas tabulas,meosq; in eas conatus,quos tuæ Maiestati humiliter offero, dedico & in æternum dedicatos consecratosq; opto. Serenissimam Maiestatem tuam,qua decet,perpetua veneratione prosequens.Duysburgi Cliuorum, 1. Aprilis, anno Domini. 1 5 9 5.

Tuæ Serenissimæ Maiestati

Omni studio deditissimus

Rumoldus Mercator.

ORBIS TERRAE TYPVS.

QVM ex naturæ necessitate ordo semper requirat generalia particularibus anteponere, totumque parti,ad maiorem oblatæ rei intelligentiam: hac eadem & ego deuinctus lege huic primo nostræ Geographiæ ac Septentrionalium terrarum tomo, vniuersalem orbis terræ typum,eiusque quatuor partes, Europam, Africam, Asiam & Americam, quo felicius rem prosequar,præponere debui:& singulis quoque deinceps tomis consequentibus, vt is etiam perfectum semper habeat opus,ac totius vniuersi descriptionẽ, nec hac vtili speculatione priuetur,qui vel suæ tantum patriæ delineationem sibi comparauerit. Iucunda etenim est & maximopere necessaria generalium contemplatio, ei qui vel minimam mundi & naturalium rerum cognitionem habere cupit. Si enim libeat considerare,quis solis ortus vel occasus,quæ causa æstatis vel hyemis,vnde inæqualitas dierum & noctium existat,quid deniq; & quo in loco natum,propagatum, actum, gestum, mutatum & conuersum iam inde à rerum conditarum primordio fuerit id omne certe non aliunde melius, quam ex harum quinque tabularum adiunctione sine omni periculo & honesta cum animi voluptate dideceris. Et quemadmodum nulli, quantumuis amplam habitationem nacto,sufficit,perspectas habere suarum ædium partes, vt sunt atrium,cella vinaria & penaria,culina,triclinium,cænaculum,cubiculum, conclaue,musæum. quo ijs commode vti possit; sed etiam in qua vrbis parte & platea,domus eius sita sit, compertum ipsi esse necessarium & commodum est,vt hinc cognoscat statim,si in ciuitate tumultus vel incendium oriatur, quam prope vel procul à periculo absit. Sic non minus iucundum vel necessarium nosse,qua in orbis parte habites, quos populos vicinos aut remotiores habeas, vt grassantibus belli calamitatibus, quo metu, quaue animi tranquillitate vti liceat,scire queas. Denique cum Cosmographia sit lumen totius tam ecclesiasticæ quam politicæ historiæ,& plus ex ea discat ociosus spectator,quã ex longo molesto & sumptuoso labore peregrinator,qui crebro cælum tantum,non autem animum mutat:parum vtiliratis ex ea capias,si tabulis particularibusgenerales non adiunxeris. Sunt autem hæ generales tabulæ collectæ ex magna orbis terræ descriptione (cuius etiam initium longitudinis, vel primi meridiani positionem in singulis sequuti sumus) Et ex magna Europa mea quas Duysburgi edidi. Et quamuis per omniã non respondeant his postremis tabulis geographicis nostris,tum in gradibus longitudinis,tum in gradibus latitudinis, differentia tamen illa tam est exigua,in tam generalibus descriptionibus, vt vix discerni queat. Finito autem opere(Deo volente) dabimus perfectiores & cum toto opere magis conuenientes,quas etiam separatim excudemus,vt præmissarum loco inseri possint si opus sit, nec emptores fraudentur. Tu interim Lector vale & fruere, ac huius tuæ habitationis ac tibi ad tempus tantum concessæ gloriam cum Poeta Buchanano diligenter considera, qui sic eam cælestibus comparat, vt animos terrestribus ac rebus hisce caducis immersos extrahat, & ad altiora acærna viam ostendat.

Percipias rerum sit quantula portio, verbis
Quam nos magnificis in regna superba secamus
Partimur ferro,mercamur sanguine fuso
Ducimus exiguæ glebæ de parte triumphos.
Illa etenim moles per se spectata seorsim,
Magna quidem: si cum stellati tegmine cæli
Componas,puncti instar erit, vel seminis,vnde
Condidit innumeros semor Gargetius orbes.
Hæc illa est hominum sedes, hæc illa ferarum
Et volucrum domus:hoc angusto è carcere quantum
Surripit Oceanus terræ circumfluus humor,
Quig,per Herculeæ irrumpens diuortia metæ,
Europam Lybicis latè seiungit ab oris?
Adde huc claustra Arabum, quæq; arctant æquora
Hyrcanos:huc adde lacus laxasq; paludes, (capos
Et quæ præcipiti labefactant flumina montes
Vertice,vel pigris stagnant immota lacunis.
Dumq; hæc vix rapiuni, hæc orbem gurgite mergunt;
Condi tur exiguæ sub aquis pars maxima terræ.
Quod superest, magno velut insula parua profundo
Innatat:hæc etiam quantum vel squalet arenis?
Vel tumet in vastos sine fruge, sine arbore montes?
Vel nimijs ardet flammis? vel frigore torpet?
Vel iacet humano indocilis mansuescere cultui,
Vel fœcunda malis animantum insinera succis?
O pudor,ô stoidæ præceps vesania votis?
Quantula pars rerum est,in qua se gloria tollit,
Ira fremit,metus exanimat, dolor vrit, egestas
Cogit opes ferro, insidijs flamma atque veneno?
Scilicet & trepido feruent humana tumultu.

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ORBIS TERRAE COMPENDIOSA DESCRIPTIO

Quam ex Magna Vniuersali Gerardi Mercatoris Domino Richardo Gartho, Geographiæ ac cęterarum bonarum artium amatori ac fautori summo, in veteris amicitiæ ac familiaritatis memoriã Rumoldus Mercator fieri curabat Aº. M.D.Lxxxvii.



De mvndi creatione ac constitutione brevis institutio.

Studiosis Geographiæ ante omnia consideret mundi creationem, hoc modo. Deus constituto puncto, quod nunc mundi centrum est, ejusq; sedem et quietę gravium, massam liquidam informem creans, quã chaos vocant, illi eam imiecit, excitatoq; vehementi spiritu eam agitauit, agitando crassiora grauioraq; dejecerunt, quæ centro se ad æquilibrium applicantia, terram ac mare in unã corpus figuræ sphæricæ dederunt, cuius centrũ punctum illi quidem sedes est gravium existit, supra hoc corpus ut leuiora et nobiliora quæq; ita superiorem locum obtinuerunt, lucidaq; materiam globos paularim collectã, lunam, solem, stellasq; reddidit, quæ ratione primi mobilis, supremi inquam cæli super polis æquinoctialis suæ mundi ab ortu in occasum rapiuntur, noctem diemq; diuidentes, at super alijs polis ecliptica videlicet, proprio motu ab occasu in ortum, alias citius, alias tardius circumuoluuntur. Vt autem terra habitationi animalium accommodata foret, spiritui illi quo placuit Deo undas in altum attollens, alibi montes & altiorem terræ aream congessit & solidauit, alibi cauatur as & sinus effecit, in quos fluxilis aqua descenderet, & quo in æquilibrio penderet tota machina, nostræ continenti quæ Asiam, Africam et Europam comprehendit alteram quam Americam siue novam Indiam uocant ex opposito obiecit, & quia hæ duæ continentes pro maxima parte supra æquinoctialem uersus polũ arcticum sunt sitæ, ideo his sub polo antarctico tertiam continentem opposuit, maribus undiq; inter se communicantibus, ut tot a terræ marisq; machina undiq; æquilibris esset, & consisteret, omnes q; partes ex quauis regione adnauigabiles redderentur. Hæc obiter ex Patris mei in suam Cosmographiam lucubrationibus annotare uolui, ut naturali ordẽ speculatione imberetur Lector, & ad altiora cius conditi mysteria aditum nanciscatur.

huiusmodi sphæricũ corporis conuexam superficiem contemplaturus Geographiæ studiosus, astris illud subjicitur, illorumsitu uaria ipsi accidentia contingere obseruet, quæ ratione circulorum, quibus astrorum motus, distantiæ & tempora determinantur, illi obueniunt. Sunt autẽ circuli ad Geographiam cognitu necessarij, Æquinoctialis illi Parallelis suæ æqui distantes & Meridiani. Porro quia hi circuli in plano non eodem modo quo in sphæra reperiri possunt, quod sphæræ superficies in planum seruata eadẽ partium ad inuicem habitudine depingi nequeat, scire lector nos eam complanandæ sphæræ rationem secutos esse, quã Gemma Frisius in suo planisphærio adinuenit, qua omnium longe optima est. Et si enim gradus à centro uersus circumferentiam crescant, ut in gradibus æquinoctialis uides, tamen latitudinis longitudinisq; gradus in eadem à centro distantia tandem ad inuicem proportionem seruant, quam in sphæra, et quadrangula inter duos proximos parallelos duosq; meridianos rectangulum figuram habent, quamodum in sphæra, ita ut regiones undiq;, omnes motuum figurã obtinent, sine omni tortuosa distractione, cernente tamen uersus exteriora magnitudine, propter graduum longitudinis latitudinisq; incrementum, quod lector quo etiam sit ut paralleli, qui in sphæra æquatoris sunt æquidistantes, hic circulares apparent, cũ æquator ferme linea, per medium hemisphærij media inter utrumq; polum distantia ducta, quæ diuiditur in 180. gradus, quæ per dimidium tantum æquinoctialis in uno circulo, dimidium alterum in altero continetur, quia dimidium totius sphæræ superficiei tantum in uno circulo comprehendi potest, neq; aquã tota, ita uno circulo totam uterlibet cognitam continentem comprehendimus, nimirum Europam, Asiam & Africam, Nouum autem orbem siue Indiam nouam altero circulo, Continente interim australi in utrumq; circulum incidente. Dicitur autem æquinoctialis circulus ab eruditione, quod solis cum per eum uenienti efficit, quod bis in anno contingit, circa 21. diem Martij, & 14. Septembris, Solnoctio, quod solis eum per eundem efficit, quod bis in anno contingit, circa 21. diem Martij, & 14. Septembris, Sol

enim super polis zodiaci proprio motu, anno uno ecliptica m permeat obliquæ æquinoctialem secans & ad 23. cum dimidio gradus ab illo uersus utrumq; polum recedens, ubi tropicus Cancri & Capricorni notatur. Meridiani sunt circuli per æquinoctialis sectionem quamuis & polos mundi describpti, ideo Meridiani dicti, quod in illo constituto sole meridies sit omnibus qui sub eodem in eodem hemisphærio duobus polis terminato habitant.

Nunc quid hi circuli mutationis quæue accidentia in regionum & diuersas sphæræ partes adferant, audi. Meridiani longitudinum locorum & longitudinis sue horarum differentiam duorum quorumlibet locorum indicant. Constituerunt autem Geographi initium longitudinum in meridiano qui per occidentalissimam insulam Canariarum ducitur, & inde uersus orientem longitudinem computant, quia proprius ab rorum motus per quem longitudines locorum observantur, ab occasu in ortum tendit. Differentia autem longitudinis duorum locorum, ex distantia meridianorum utriusq; quæ in æquinoctiali patescit, cognoscitur. Vt si Meridiani illorum 30. gradibus in æquatore à se mutuo distent, erit differentia longitudinis eorum 30. graduum, & duarum horarum differentia, ita ut cum in occidentaliore fuerit hora decima, in orientali erit duodecima, duabus enim horis sol ab oriente ad meridianum peruenit ad occidentaliorẽ meridianum motu diurno, etenim 24. horis totum globum terræ ambit. Præterea dinoscuntur meridiani in 360. gradus, quem admodum æquinoctialis, & numerantur ab æquinoctialium ut rimque ad polum 90. gradus, qui uersus polum Arcticum designant latitudinem boream, uersus Antarcticum uero meridionalem, et quot quot in eodem meridiano eodemq; hemisphærio polis terminato sunt loca diuersæ latitudinis, eandem semper eodem momento horam numerant, ut cum unus computat horam 8. cum dimidia, reliqui omnes tantundẽ numerant. Parallelis item circuli [quos minores uocant, quia eorum planities non per centrum mundi transit] à Meridiani gradibus

designantur iuxta eorum latitudinem, sic tropici duo, Cancri & Capricorni, gr adum latitudinis 23. cum dimidio in meridianis omnibus occupant, Arcticus autem & Antarcticus circuli 66. cum dimidio, quicirculi zonas quinq; comprehendunt, inter duos tropicos sitam torridam uocant, quod sol perpetuo supra eã uersans omnia ibi torreat & in torsum calorem adferat, duæ inter tropicos et Arcticũ Antarcticumq; temperatæ dicuntur, quod medio modo inter calidissimam & frigidissimam se habeant, reliquæ intra Arcticũ una & intra Antarcticum altera, frigidæ sunt, ut pote à sole remotissime. Rursum quia in diuersa latitudine etiam diuersa sit quantitas dici cuiusq; distinxerunt uniuersam latitudinem ab occidentali ad polũ usq; per certos aliquot Parallelos, in quibus primus latitudinem notat in qua maxima dies maximã q; nox super perpetuam æqualitatem, quæ est in æquinoctiali quadrante unius horæ crescit, secundus illam in qua dimidia hora, tertius in qua tribus quadrantibus et sic deinceps donec parallelorũ uicinitas permitat semihoras tantum differentias consider at, ita tandem etiam per horas integras, dies, hebdomadas, menses, ita ut sub polo unus tantum dies unaq; nox totum annũ emetiantur. Inter hos parallelos constituerunt Veteres quinq; spatia quæ climata appellarunt, primum à tertio parallelo ad quintum usq; secundum hinc ad 7. tertium ad 9. quartum ad 11. quintum ad 13. Horasq; putabant orbem habitari, ulterius non propter intensius frigus, ab æquinoctiali etiam usque ad tertium utrimq; parallelum, quod est medium torridæ zonæ propter nimium æstum inhabitabilem credebant, posteriores tria climata uersus polum addiderunt, ut tandem inuentum est totam undiquaque terram habitabilem esse, & sub æquinoctiali temperatiorem opinione calorem esse, propter breuiorẽ Solis præsentiam, ut qui perpetuo 22. tantum horis supra horizontem manet, in frigidissima autem zona propter longissimos dies æstate calidiorem opinione aerem esse, noctũq; propter uentorum raritatem ac debilitatem minus infrigidari. Vale & fruere.

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



EVROPA

B



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 35 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

AFRICA

C



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 37 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ASIA.

D

ASIA
ex magna orbis terræ
descriptione Gerardi
Mercatoris desumpta,
studio et industria
G.M.
Iunioris.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 39 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

AMERICA

E



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 41 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

POLVS ARCTICVS,
AC TERRARVM CIRCVMiacentium descriptio.

GENERALI descriptione (candide Lector) totius orbis terræ & quatuor partium eius iuxta naturæ ordinem methodice repetita & præmissa, statui ad imitationem Ptolemæi Cosmographorum principis ab ipso polo & regionibus sub ipso circumiacentibus, singularum deinceps particularum Geographia inchoare: vt nimirum ab alto inferiora descendens & à sinistris ad dexteriora progrediens septentrionem cum austro & occidentem cum oriente paulatim coniungam: Quod vt mihi reiq; publicæ Christianæ fœlix faustumq; sit, Deum optimum maximum precor & obtestor. De harum autem terrarum & præcipue polo vicinarum regimine & statu nihil certi Europæis adhuc constat: bona tamen spes est, quotidianis Anglorum & Batauorum per boreales aliora transitum ad Moluccas certatim quærentium nauigationibus, earum situm & terminos breui certiores detectos fore. Duæ tantum habitationes in extremis quasi septentrionis, in Groenlandia videlicet, nobis notæ sunt, Alba 11: 0. 74: 45. & S. Thomæ Cœnobium 16: 0. 75: 12. Figuram sumpsimus quæ illi parti orbis maxime congruebat, quæque situm & faciem terrarum, qualis in sphæra esset, redderet. Quod ad descriptionem attinet, eam nos accepimus partim ex Hugonis VVilloughbei equitis, Richardi Chancelei, Stephani Boroughij, Arturi Pet. & Caroli Iacmans, Iacobi Aldaij, Martini Frobischeri, Iohannis Dauis & aliorum Anglorum nauigatorijs obseruationibus, partim ex itinerario Iacobi Cnoxen Buscoducensis, qui refert (quod tamen ab alio prius accepit) Minoritam quendam Anglum Oxoniensem Mathematicum terras polo circumvicinas descripsisse & astrolabio dimensum esse in hanc sequentem formam fere, vti ex Iacobo collegimus. Euripos illos quatuor dicit tanto impetu ad interiorem voraginem rapi, vt naues semel ingressæ, nullo vento retroagi possint, neque vero vnquam tantum ibi ventum esse vt molæ frumentariæ circumagendæ sufficiat. Simillima his habet Giraldus Cambrensis in lib. de mirabilibus Hiberniæ, sic enim scribit: Non procul ab insulis (Ebridibus, Islandia &c.) ex parte boreali est maris quædam miranda vorago, ad quã à remotis partibus omnes vndique marini fluctus tanquam ex conducto confluunt & concurrunt, qui in secreta naturæ penetralia se ibi transfundentes quasi in abyssum vorantur, si vero nauem hanc forte transire contigerit, tanta rapitur & attrahitur fluctuum violentia, vt eam statim irreuocabiliter vis voracitatis absorbeat.

I

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 43 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ISLANDIA.

ISLANDIA inter varias Oceani occidentalis insulas quæ Norvegiæ Regno subiectæ sunt, est maxima: & in littoribus maris passim ab hominibus ex piscatu potissimum, & re pecuaria viuentibus, incolitur. Mediterranea verò loca ob alpium altissimarum perpetuis fere niuibus obrutarum asperitatem, infrequentiora sunt. Panis bis coctus (quo non nisi importato lautiores vtuntur: ceteri enim pisce siccato panis loco vescuntur) farina, pólenta, cercuisia, ferrum, cuprum, pannus Anglicus & institorum merces, classibus aduehuntur quotannis per diuersos mercatores, qui vicissim piscium frigore duratorum, strues, & sulphures ibidem effossi moles, Balenarum pinguedinem, butyrum, scuum, coria boum, raias & pannum VVARMAN euehunt. Duo in tota insula Episcopi sunt, qui ex Academia Hassiensi eo mittuntur, quorum alter boreali insulæ parti præest, & in Halar 3:0. 67:14. alter meridionali in Schalholt 3:24. 65:42. sedem habet. Ac vterque tenuem scholam latinam ædibus adiunctam habet, in qua vigintiquatuor pueros suo sumptu alere & erudire tenetur.

Islandia (inquit Georgius Agricola) tres sunt montes elati in cælum, quorum vertices perpetua niue candent, radices sempiterno æstuant igne. Primus vocatur Hecla 6: 0. 65: 39. alter Crucis, tertius Helga, id est sanctus. Ab Hecla non longè absunt fodinæ sulphuris, pene vnicum incolarum mercimonium, & vectigal insulæ: Mercatores enim naues eo onustas eucehunt. Mons ipse cum furit, vt horribilia tonitrua insonat: proijcit ingentia saxa: sulphur euomit: cineribus egestis terram tam longè circum circa operit, vt ad vigesimum lapidem coli non possit. Qui naturam tanti incendij contemplari cupiunt, & ob id ad montem propius accedunt, eos vna aliqua voragoviuos absorbet; nam & multæ sunt, & cineribus ita tectæ, vt ab ipsis sibi satis cauere nemo possit. Atq; etiam prope exit ignis qui consumit aquam, & stupam non comburit. Hodie hæc insula vna cum Regno Norvvegiæ Regi Daniæ subiecta est, & ab ipso Præfectum accipit, qui in arce Beste de 360:36. 65:21. sedem suam tenet.

Meridiani distant ratione 66:30. paralleli
ad circulum maximum.

II



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 45 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

BRITANNICAE INSV-
LÆ: ANGLIA, SCOTIA & HIBERNIA, cum Orcadibus, Hebridibus, Mona, Vecta & cæteris insulis circumiacentibus, sub nomine Britanniæ comprehensis.

BRITANNIA omnes Insulas, quæ inter Hispanias & Germaniam magno terrarum spacio Galliæ prætenduntur, suo nomine complectitur. Eam nuper Lhuydus Prudaniam: Thomas Acolitus eques Britannus Prytanejam dici voluerunt, sed studio magis contentionis, quam veritatis incitati, contra Aristotelis, Lucretij, Iulij Cæsaris, & aliorum veterum scriptorum authoritatem ac fidem. Quia autem olim Britanni omnes se luteo inficerent, quod cœruleum efficiebat colorem, vt hoc horribiliore in pugna aspectu essent: ijdēq; quicquid depictum & coloratum *Brith* patria & antiqua lingua appellarent: recte quidam statuunt Græcos (qui primum hoc nomen ita conceperunt) ab incolis, quos Brith & Briton appellari accepissent, ad *Brith tanis*, quod regionem significat addidisse: & ideo Britanniam regionem Britonum, id est, pictorum & coloratorum dici non aliter atque Mauritania Mauri, Lusitania Lusi & Aquitania aquarum regio nominatur. Vt autem prisci Galli à Gomer filio Iaphet Gomeræi, Gomeritæ, Cimmerij & contractè Cimbri: sic etiam Britanni sua propria lingua olim Cumeri & Kimbri dicti sunt. Itaque eos veram esse Gallorum propaginem è nomine, situ, religione, moribus & lingua, manifestè constat. Britanniam autem omnibus cæli ac soli bonis natura donauit in qua nec rigor est nimius hyemis (vt habet Panegyricus Constantino dictus) nec ardor æstatis: in qua est segetum tanta fœcunditas, vt muneribus vtriusq; sufficiat & Cereris & Liberi: in qua nemora sine immanibus bestijs: terra sine serpentibus noxijs: contra, pecorū mitium innumerabilis multitudo, lacte distenta, & onusta velleribus: certe, quod propter vitam diligitur, longissimi dies, & nullæ sine luce aliqua noctes, dum illa littorum extrema planities non attollit vmbras, noctisq; metam cæli & syderum transit aspectus, vt sol ipse, qui alijs videtur occidere, ibi appareat præterire. Est sane Britannia naturæ gaudentis opus, quam quasi alterum orbem, extra orbem, ad delitias humani generis constituisse, & tanquam formam quandam ad eximiam pulchritudinem & vniuersi ornatum egregie depinxisse videatur, ea varietate gemmea & descriptione amœna oculi quocunque inciderint, reficiuntur. Vt incolas taceam optima corporis habitudine, commodissimis moribus, mitissimis ingenijs & maximis animis, quorum virtus rebus domique belliq; gestis est vniuerso terrarum orbi testatissima. Inter omnes Britanniæ insulas duæ reliquas magnitudine longe præcellunt: Albium, sub qua Anglia & Scotia continentur, & Hibernia. Prima magnitudine est Albium, quæ nunc sola nomen Britanniæ retinet, quod antea omnibus erat commune. Atq; hoc nomen magis è libris eruitur, quam in communi sermone vsurpatur, nisi quod Scoti se Albinich & suam regionem Albin adhuc vocent. Videtur autem ab albo dicta, quod apud plerasque gentes non tantum colorem sed etiam altitudinem significat. Qui enim hoc nomen imposuerunt, puto nonnihil impulsos comparatione Angliæ cum Hibernia, inter quas angusto mari nauigatur. Nam cum alterum littus totum in montes consurgere videretur, alterum depressum & humile in campos æquales explicari, illam ab altitudine Albionem siue Albium dixerunt. Huic autem ab humilitate an nomen aliquod dederint, longinquitas temporis & incolarum negligentia, in memoria rerum vetustarum prodenda, facit incertum. Dicta est autem Hlbernia, alias Ierna, alias Iuuerna, alias Iris, & à Britannis Yuerdhon, & ab Anglis Ireland. Quæ nomina cum ab *Erin*, vt Hiberni eam indigetant, sunt deducta, *Erin* autem ab *Hiere* originario illo vocabulo Hibernica dictione, quæ plagam occidentalem sonat, deriuetur, consentaneum est Erin, quasi occidentalem regionem esse appellatam, quod hæc insula sit totius Europæ regio ad occidentem remotissima. In medio inter Britanniam & Hiberniam cursu *Mona* illa iacet, quæ Monoeda Ptolomæo, quasi Mon eitha, id est, Mona remotior, ad alterius differentiam, Monabia Plinio, Menauia Orosio & Bedæ, Eubonia Gildæ, Menavv Britannis, Incolis Maning, Anglis The yle of Man dicitur, Pecore, piscibus, fruimento etiam sed magis industria hominum, quam terræ bonitate hæc insula & sibi sufficit & quotannis plurimum transmittit. Administratione felicior est Illustrissimi Comitis Derbiensis cuius sumptibus, in quos maximam annui prouentus partem impendit, præsente paratoque milite à vicinis hostibus defenditur. Controuersias omnes Iudices, quos è suis eligunt & De Emsters vocant, sine scriptis & impensis dirimunt. Lapidem enim tollit magistratus, signatumque quærenti tradit, illo aduersarium & testes citat. Si quid ambiguum & maioris momenti, ad duodecim, quos Claues Insulę appellant, refertur. Coronatores, quos vocant Ancros, qui vice Comitum officio funguntur, habet. Ita Iudex Ecclesiasticus citat, definit, infra octo dies parent, aut carceri intruduntur. Iudici & formularijs nunquam hic ne denarius à populo impenditur. Quia autem in duas Austrlem & Borealem partes insula est diuisa, hæc sermoni communi ad Scotos, illa ad Hibernos accedit. Habet etiam suum Episcopum qui residet 14:48.55:20. vide 3. tab. Angliæ. Et hæc quidem de nomine, origine & moribus Britanniæ & de tribus eius præcipuis insulis in genere dicta sufficient: cætera & quæ ad statum politicum pertinent in singulis deinceps tabulis exponemus.

Medius Meridianus 15. reliqui ad hunc inclinantur ratione parallelorum 52. & 58.

III



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 47 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

SCOTIA

SCOTIAE REGNVM Albionis pars altera sed minor, ab incolis *Alban* & *Albin* & ab Hibernicis *Allabany*, quasi altera Hibernia (quæ à Bardis *Banno* dicta est) vocatur. Hiberniam enim *Britanniam maiorem*: & Scotorum in Britannia regnum *Scotiam minorem* historici appellant. Qui orientalem eius partem tenent & *Lawlandmen* id est inferiores vocantur, sunt origine Anglosaxones & Anglicè loquuntur: qui vero occidentalem oram incolunt *Hechtlandmen* dicti, i. superiores sunt Scoti & Hibernicè loquuntur infestissimique sunt illis inferioribus qui Anglico idiomate vtuntur. Videntur autem Scoti sic dicti à vicinis quasi *Schytæ*. Quemadmodum enim Germani inferiores Schytas & Scotos vno nomine *Ostrem* id est sagittarios appellant; sic etiam Britannos vtrosque *Y-Scot* dixisse à Britannicis scriptoribus obseruatum est. Id sane constat eos à Scytis oriundos ex Hispania in Hiberniam & inde in hanc partem Albionis, quam nunc tenent, peruenisse & cum Pictis in vnam gentem coaluisse.

Populus Scoticus in tres ordines dispescitur, in Ecclesiasticum, Nobilitatem & Plebem.

ECCLESIASTICVS ordo duos habet Archiepiscopos: *Sancti Andreanum* 17: 28. 57: 46. totius Scotiæ primatem, & *Glasgoensem* 15: 44. 57: 3.

Sub Archiepiscopo S. Andreæ octo sunt Episcopatus.

Dunkeldensis 16: 20. 57: 52. Aberdonensis 18: 12. 58: 40. Moraiensis 16: 36. 58: 44. Dumblanensis 16: 12. 57: 25. Brechinensis 17: 38. 58: 12. Rossensis 14: 30. 59: 12. Cathanensis 16: 36. 60: 9. Orchadensis 17: 0. 61: 0.

Sub Archiepiscopo Glasgoensi sunt tres Episcopatus.

Candidæ casæ. Lismorensis, siue Argadiensis 14: 40. 57: 34. Sodorensis, seu insularum, videlicet Suræ, Mulæ, Ylæ, &c. 13: 0. 57: 24.

NOBILITATIS ratio hæc est: vt primum locum obtineant Rex filijque Regis, partu legitimo editi, quorum si plures sunt, natu maximus princeps Scotiæ, reliqui absolute Principes dicuntur. Rex autem cum publicè inauguratur, populo vniuerso sanctè promittit se leges & maiorum ritus veteraque instituta seruaturum, eoque iure quod à maioribus accepit vsurum. Secundum locum obtinent *Duces*: Tertium *Comites*: Quartum illi nobiles qui apud alias nationes extra insulam non vigent & à Scotis *My Lordis* appellantur. Quod nomen tantam dignitatem in se continet, vt etiam illud Episcopis, Comitibus, & summis Magistratibus honoris ergo tribuant. Hosce Magnates posses dicere. Quintum locum *Equites aurati* aut *Barones* sibi vendicant, qui Lordis dici solent. In his nobilitatis gradibus hæc seruatur ratio, vt nullus designetur *Dux*, qui Comitis: nec *Comes* qui Dominus My lord: nec Dominus *My Lord* qui Equitis aurati aut Baronis titulo non antea fuerit ornatus. In sextum & vltimum locum reiiciuntur illi, qui nullo certo honoris titulo insigniti, sed nobili familia prognati vulgo *Gentilmen* appellantur, vt sunt fratres & filij Comitum, Dominorum, Equitum auratorum natu minores; qui in nullam hæreditatis partem succedunt: siquidem ea tota in filium natu maximum conseruandarum familiarum causa iure Scotico deuoluitur. Plebs autem omnes qui diuitijs affluunt, quique hospitalitatis & clientelarum nomine bene audiunt hoc fere titulo (Gentilmen) decorat. Ab his autem Nobilibus infimi gradus, totum fere belli pondus pendet. Nam quamuis Scoti ad vnum omnes quocunque gradu locoue sint constituti, suis stipendijs Regi militare cogantur & propterea à vectigalium muneribus sint immunes: tamen hi præcipue cum cogitant ex qua familia sint profecti, maxima quæque pericula summa animi magnitudine adeunt, vt sese familia sua dignos ostendant. In qua re non solũ populi singularis vtilitas: sed etiam ipsius Regis summa ac pene vnica opulentia inclusa continetur: siquidem ea ratione Rex nunquam necesse habet, vt externum militem suo sumptu auxilio euocet, cum ipse populus ad hostium frangendos impetus quasi ad commune quoddam incendium extinguendũ opinione citius concurrat.

PLEBEI vero ciues partim sunt primarij opibus insignes qui magistratu in suis vrbibus fungũtur: partim mercatores: partim opifices, qui omnes propter supra dictam à vectigalibus aliisq; oneribus immunitatem facile apud eos ditescunt. Ne quid autem grauius in aliquam ciuitatem in publicis comitijs statuatur, permittitur à Rege tribus aut quatuor ab vnaquaque ciuitate euocatis ciuibus, vt cum reliquis duobus ordinibus suam sententiam de rebus propositis libere interponant.

DE IVRE ET MAGISTRATV.

Ecclesiastici olim decretorum & conciliorum authoritate continebantur, nunc autem vt cæteri legibus, quas Reges descripserunt, aut Regum voce confirmatas, tres ordines fixerunt, regũntur. Liber, qui Leges Municipales latine scriptas continet, titulum (*Regiam Maiestatem*) habet, quod ab illis vocibus libri exordium ducatur: Reliquis legum libris Scotica lingua Comitiorum (quæ Parlamenta dicuntur) acta inscribuntur.

Magistratus sunt in Scotia, vt apud alias nationes, complures & diuersi. Inter hos proxime & secundum Regem, Regni procurator (quem Gubernatorem appellant) facile princeps est. Huic prouincia Regni

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 48 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 49 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

Regni gubernandi incumbit, si Respublica Rege forte orbetur, aut si Rex per ætatē Regni negotia non possit obire. Hic tanto in honore est, vt si quis illius dicto vel imperio morem non gerat, violatæ Regiæ Maiestatis notam incurrat. Est & ibi Senatus perpetuus Edenburgi ex Clero & Nobilitate ita constitutus, vt Laicorum semper numerum æquet pars altera Ecclesiasticorum. Quibus adijcitur ex Ecclesiasticorum numero Præses, qui in dicenda ferendaq; sententia principem locum obtinet, nisi iudicio Regni Cancellarius interfit; ei enim in omni Reipublicæ negotio Scoti primas deferunt.: Qui capitis iudicio, magnum Iusticiarium: qui rei nauticæ, Admiralium: qui castris figendis, Marescallum: qui delictis inter aulæ septa vindicandis præficitur, Connestabilem, appellant. Sunt quoque in singulis prouinciis, quas Vicecomitatus appellāt, qui præsunt singuli, quos Vicecomites antiquo vocabulo vocant. Horum authoritas in his rebus, quæ ad ciuiles causas & capitis summam pertinēt, decidendis non aliun dependet, quam à iure quodam hæreditario, quo etiam illos sibi Vicecomitatus vendicant. Vt ij Vicecomites non à Rege creati, sed à parentibus nati iure quodam dici possint. Habent quoque Ciuitates atque oppida suos Præfectos, Balliuos ac id genus alios Magistratus, qui ciues in officio contineant & ipsarum ciuitatum priuilegia tueantur. Ita fit vt Scotorum Respublica ordinum apta disposítione, Legum sancta maiestate, & Magistratuum firma authoritate, floreat & summā laudem mereri videatur.

Nomina Ducatuum, Comitatuum & Vicecomitatuum Scotiæ.

DVCATVS.

Rotsay 14:38. 57: 10 f. Albanie 14:40.57: 42.

COMITATVS.

Catnes 16:36.60:9. Soterlant 15: 30.59: 44. Rosse 14: 30:59:12. Morauie 16:36. 58: 44, Buchquham 18:48.59:4. Garniach. Garmoran. Mar 16:56. 58:28. Mernis 17: 45.58:20. Angus 17: 20.58: 8 Govvri 16: 28.58: 6. Fiffe 17: 0.57 36. Marche 18: 16.57:0. Athole 15:54.58:0. StrathErne 16:4.57:40. Menteith 15:54.57:20. Leuenox 15: 47. 57:8. VVagion. Douglasse 16:0.56:48. Carrike 14:36.56:32, Cravvford 16.8.56: 44. Annandale 16:40.56:12. Ourmonth. Huntley.

VICECOMITATVS.

Bervvyk alias NorthBervvyk 17:54.58:18. Roxburg 18:4.56:54. Selkirk 17:31.56:52. Tvvedale 17:20. 56:38. Dunfrise 16:24.56:16. Niddisdale 16:0.56:18. VVigton 15:0.56:10. Are 15:0.56:49. Lanarke 16:14. 56:56. f. Dunbretten 15: 24.57:10. Streueling 16:10.57:20. Louthean. Laudonia 17:0.57:2. Clakmanan 16:36.57:23. Tab. 3. Scotiæ. Kinros 16:44.57:32. Fiffe 17:0.57:36. Perth 16:8.58:0. Angus 17:20.58:8. Mernis 17:45.58:20. Aberdone 18:12.58:40: Bamph 17:42.59:12: Fores 16:40.59:3. Tab. 2. Scotiæ. Inuernes 15:48. 58:56.

VNIVERSITATES.

S. Andreæ. 17:28.57:46. Aberden 18:12. 58:40. Glasco 15: 44. 57:3.

Medius Meridianus 15. reliqui ad hunc inclinantur ratione parallelorum 57. 0. & 59. 30.

SCOTIAE
II. TABVLA.

In qua sequentes, Comitatus, Vicecomitatus & Vniuersitates.

Comitatus.
- Catheneſia.
- Sutherlandia.
- Roſſia
- Morauia vulgo Muray.
- Buquhania.
- Marria.

Vicecomitatus.
- Aberdone.
- Bampf.
- Forres.
- Inuernes.

Vniuersitates.
- Aberdone.

Meridiani distant ratione paralleli 59:30 ad circulum maximum.

V.



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 51 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



SCOTIAE
III. TABVLA.

Hos continet Ducatus, Comitatus, Vicecomitatus & Vniuersitates.

Ducatus.
Rotſay, Roſay forte.
Albayn, Bread Albayn ſ.

Comitatus.
Buquhania.
Marria.
Mernia.
Anguſia.
Gourea.
Fifa.
Marcia.
Athole.
StrathErne.
Menteith.
Lenoxia.
Douglas.
Caricta.
Cravvford.
Anandia.

Vicecomitatus.
Bervvyk, alias NorthBervvyk.
Roxburg.
Selkirk.
Tiuedalia
Dunfriſe.
Nythesdaill.
VVigton.
Ayr.
Lanarke, Lanryk forte
Donbryroun.
Striuilingia.
Laudonia.
Clakmanan
Kynros.
Fifa.
Perthia.
Anguſia.
Mernia.
Aberdone
Bamf.
Forres.
Inuernes.

Vniuersitates.
S. Andreas.
Aberdone.
Glaſquo.
Edynburg.

Meridiani diſtant iuxta rationem 57:30. paralleli ad circulum maximum.

VI.

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 **Octavo** VIEW 53 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

HIBERNIA.

Regnum.

HIBERNIA quondam multos Regulos habuit: nunc autem sub Anglorum regimine & per Proregem, quem Dominum deputatum vocant, administratur. Ea ex incolarum moribus in duas partes distribuitur. Qui enim legibus teneri nolunt & incultius viuunt *Irishrie* & vulgo *Wildirish* id est syluestres Hibernici vocantur: Qui vero Legum potestatem sanctam habent & judicijs se sistunt, Anglo Hibernici vocantur & eorum regio *the English pale*. Qui in Anglica prouincia habitant, victu, cultu & sermone ab Hibernicis differunt. Nam à priscis Anglorum moribus ne transuersum quidem vnguem discedunt. Anglice naturaliter & incorruptè loquuntur: Hibernicè tamen norunt, propter quotidiana commercia. Authoritate nutuq; Britannicarum Legum Rempublicam administrant: suos tantum ciues mutua affinitate deuinciunt: & Hibernicos procos vehementissima animi contentione repudiant. Hibernici autē primarios quosdam Tyrannos habent, quorum imperio plures tenentur, sub Anglico iure & imperio, nisi simulate & quamdiu Angli milites eorū territoria depopulantur, non viuunt. Iudicia tamen propter depredationes & furta nocturna certis temporibus & locis constituunt. Illic reorum, qui accusantur, proprium est: Nego. Si conuincantur, ad litem æstimandam, quosdam arbitros, quos illi *Brehonios* appellant, adhibent. Isti sunt ex vna familia proseminati, qui quamuis intelligentiam iuris non habeant, vulgo tamen propter arcanam quandam scientiam ac moribus acceptam, quasi diuini habentur. Militia eorum partim equestris, partim pedestris est. Equites habent equos valde tractabiles, quos sine vllis admiculis, etiam loricati insiliunt. Hastas bene ponderosas circa medium manibus prehensas supra capita in hostem vibrant. Inter pedites, quidam sunt sagati milites valde robusti, quos *Galeglasios* vocant & tela pedalia securibus similia, eaq; gemina, cultris tonsorijs acutiora, longitusculis hastilibus affixa gerunt, & totius Hibernici belli fundamentum & robur sunt, secundum locum obtinent. Pedites leuis armaturæ macherophori, qui *Karni* dicuntur, & neminem occisum purant nisi capite truncatum. Tertio loco sunt cursores, quos *Daltines* vocant, qui inermes incedunt & ministros se præbent equitibus. Totus autem tam equitatus quam peditatus, quoties ad manus venitur alta voce *Pharro Pharro* inclamat: & tibia vtriculari loco tubæ vtitur. Verum Hibernia ex situ seu potius rectorum quondam numero quinque continet portiones seu prouincias (Pentarchia enim olim erat) MOMONIAM videlicet ad austrum; LAGENIAM ad ortum; CONNACTIAM ad occasum; VLTONIAM ad septentriones, & MEDIAM in ipso fere medio; quæ nunc per Comitatus distinguuntur. Habetq; Hibernia in vniuersum Comites triginta tres. Archiepiscopos quatuor. Armachiensem totius Hiberniæ primatem Long. 12:19. Lat. 55:46. Dublinensem Hiberniæ primatem Lon. 12:40. Lat. 54:27. Cassiliensem Long. 11:2. Lat. 53:7. & Toamensem Long. 9:16. Lat. 53:28. Et hi quatuor vigintinouē suffraganeos habent Episcopos, quos omnes suo loco & ordine in sequentibus tabulis recensebo. Quatuor in hac ciuitates præcipuæ. Dublinia Lon. 12:40. Lat. 54:27. Totius Hiberniæ metropolis est, sedes Regia & Archiepiscopalis, Aede S. Patricij ac Comitatus titulo exornata.. Hic iudicia & publica comitia, quæ vulgo parlamenta dicuntur, celebrari solent. Hic etiam insulæ procuratores vt plurimum considunt. Secundas partes tenet VVaterfordia Long. 11:56. Lat. 52:48. Tertias Limmiricum Long. 10:4. Lat. 53:14. Quartas Corcagia Long. 10:16. Lat. 52:21. Kilkennia scolam habet opibus Petri Butleri Ormundiæ & Ossiriæ Comitis extructam.

Medius meridianus 11. reliqui ad hunc inclinantur ratione parallelorum. 52:30. & 55:30.

VII



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 55 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



HIBERNIAE
II. TABVLA.

In qua Vltonia, Connatia, Media & pars Lageniæ.

VLTONIA ad septentrionem Hiberniæ & ad mare Hyperboreum protensa, Anglis *vlster*. Hibernicis *cui Gully* id est prouinciæ Gully, Britannis Vltvv, vocatur. Vt hæc in officio contineretur, quæ omnia iuris, pudoris, & officij repagula perfringere solebat, pars eius citerior in tres, & vlterior in septem Comitatus diuisa est.

Comitatus Vltoniæ citerioris.
- Louth 12:14. 55:18.
- Dovvne 13:14. 55:43.
- Antrimne, forte vbi lacus Antre 12:7. 56:8.

Comitatus Vltoniæ vlterioris
- Monahon 12:0. 55:12.
- Tiroen 12:18. 56:2. alijs Tirone
- Armach 12:19. 55:46.
- Colrane 12:18. 56:40.
- Donergal forte Dungall. 9:14 55:48.
- Fermanogh, iuxta lacū Erne.
- Cauon 11:24. 55:12.

Archiepiscopus vnus in Vltonia, qui sedem suam habet Armachiæ 12:19. 55:46. & Primas totius Hiberniæ dicitur. Hos habet suffraganeos Episcopos, Maeth & Deren, Ardach forte Arde 12:18. 55:2. Kilmore, Clogher 11:52. 55:46. Doune 13:14. 55:43. Coner 13:8. 56:0. f. Clocknos, Raboo, forte Rapo 11:8. 56:18. Dromoore 12:54. 55:52. forte.

CONNATIA ad occasum Hiberniæ sita. Anglis *Connagh*, Hibernis *Connaghey* dicitur, & hodie in sex Comitatus distribuitur.

Clariæ 9:28. 53:26.
Letrimne 10:6. 53:54.
Galvveiæ 9:17. 54:6.
Rose comin. 10:15. 54:37.
Maio 8:53. 55:5.
Slego 9:5. 55:16.

Sunt etiam in hac Baro de Atterith, Baro de Clare 9:22. 54:14. & alij. Archiepiscopus vnus qui Tvvenij vulgo Toam 12:19. 55:46. residet, & Momoniæ adiudicatur, sub quo hi sunt.

Episcopi suffraganei.

Kilmako,
Olfine, Bishops Helphen, forte. 10:13. 54:49.
Auaghdoune
Clonfert 8:20. 54:7.
Moroo.

MEDIA, Hibernice *Myh*, Anglice *Meth*, quod sit in ipso Insulæ medio, propter populi multitudinem, castrorum & oppidorum fortitudinem & pacem inde natam, vulgo *Camera* Hiberniæ vocatur, & in *Mediam* orientalem & occidentalem diuiditur. In Orientali est oppidum Droghda 12:34. 54:54. In Occidentali Baro Deluiniæ 11:38. 54:40.

Meridiani distant ratione paralleli 55:60. ad circulum maximum.

VIII

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 57 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

HIBERNIAE
III. TABVLA.

In qua Momonia & Lageniæ reliqua.

MOMONIA, Hibernicè Movvn, Anglicè *Mohnster*, ad meridiem Hiberniæ ſita, ſeptem hodie Comitatus habet.

Kerrienſis Comes Palatinus 8: 18.52:45.
Imimericenſis 10: 6. 53. 13.
Corcagienſis 10: 16.52: 21.
Triparienſis Comes Palatinus 10: 43. 53: 11.
Sanctæ Crucis, vulgo Holy Croſs 10: 57. 53: 17.
VVaterfordienſis 11: 55. 52: 47. &
Deſmonienſis 9: 22.52; 14. in quo etiam
MacKarti More Regulus Hibernicus, at'cliens Anglię, iuxta duos portus halecum piſcatura nobiles, habitans.
Beare hauen 8:25.51:52. &Balti more baye 8: 40. 51 30. qui& Comes deGlencar 8: 30.52:32. &
Baro Valentiæ 7: 36.52:20.

Archiepiſcopus vnus Caſſiliæ reſidens 11: 2. 53: 7. cui ſubſunt ſequentes Epiſcopi ſuffraganei.

VVaterford 11: 55. 52: 47. & Liſmore 11: 3.52:36.
Korke 10: 16. 52: 21.
Clone 10: 50. 52: 15.
Roſſe 9: 37. 51:52.
Ardigh, Ardhey forte 8: 44. 52: 17.
Limerike 10: 6. 53: 13.
Emelec.
Killa looe 10: 4.53: 31.
Ardfert.

Eſt & in Momonia Epiſcopatus Dunkeran, alijs Dunkyrein 8: 42. 52: 24.

LAGENIA in antiquis Sanctorum vitis *Lagen*, incolis *Leighnigh*, Britannis *Lein*, Anglis *Leynſter* dicta, tota maritoma ad ortum Hiberniæ iacet, & in decem Comitatus diſtinguitur.

VVeixford 12: 44.53: 0.
Catherlagh 11:52. 53:36. in quo etiam Comes Ormundiæ 11:28. 52:57. vel 10: 40.53: 44. f.
Baro Oſſiriæ 11: 10.53: 40.
Baronetus de Rheban.
Baro de Vdrona 11: 56. 53: 26.
Kilkenny 11. 30. 53: 17.
Dublinia 12: 40. 54: 27. ſub hoc Baro de Houth 12: 55. 54: 30.
Kildaria 11: 53. 54: 1.
Kyngſtovvn, vel Philipſtovvn & Offalia, Comitatus Regis 11: 24. 54:17.
Queneſtovvn, vel Maryborough & Leaſe, Comitatus Reginæ 11: 30. 53: 52.
Longfort 10: 38. 54:50. f.
Fernes 12: 36. 53: 21.
VVicklo 13: 2. 53: 49.

Archiepiſcopus vnus in Lagenia, qui ſedem ſuam habet Dubliniæ 12: 40. 54: 27. & Glandelachy, Glandeloylough f. 12: 28. 53: 49. & Primas Hiberniæ nominatur, ſequentes ſub ſe habens ſuffraganeos Epiſcopos.

Elphine, Biſhops Helphen f. 10:13. 54: 49. tabula 2. Hiberniæ.
Kildare 11: 53. 54: 1.
Fernes 12: 36. 53: 21.
Oſſorie 11: 10. 53: 40.
Leighlin, alijs Laghlyn. 11: 49. 53: 29.

Meridiani diſtant iuxta rationem paralleli 53:60. ad circulum maximum.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 58 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 59 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

HIBERNIAE
IIII. TABVLA.

Quæ orientalem Vltoniæ partem continet, & sequentia territoria inspectori offert.

Glandeboy, Tirone, Arde, Lecale, Euaugh, Arthule, Newry, Mourne, Fuse, Vriel, & alia plura. Ciuitates quoque Armack & Downe, quarum illa sedes Archiepiscopalis & totius insulæ metropolis dicitur: hæc sedes Episcopalis S. Patricij, Brigidæ & Columbæ sepultura insignis.

Meridiani distant iuxta rationem paralleli 55:30. ad circulum maximum.

X

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 60 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 61 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

HIBERNIAE
V. TABVLA.

Continens VDRONE Baroniam, partem Comitatus Reginæ, ac Dominij Fortonelij. In Vdronis medio iacet Ciuitas Laghlyn alijs Leighlin, Episcopali sede ornata. 11: 49. 53: 29.

XI

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 62 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 63 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ANGLIA

ANGLIAE REGNVM Albionis pars maxima ab Anglis inter Iutas & Saxones circa Slesvvicum in Cymbrica Chersoneso sitis, nomen accepit. Vnde autem dicti sint Angli, varia est doctorum opinio, eiusque rei cupidum Lectorem eo relegamus. Angliæ Rex supremam potestatem & merum Imperium habet, nec in Imperij clientela est, nec inuestituram ab alio quouis accipit, nec præter Deum, superiorem agnoscit. Eius subditi vel sunt Laici vel Ecclesiastici: Item sunt vel nobiles vel plebei. Nobiles sunt vel maiores: vt Duces, Comites & Barones: vel minores vt Equites aurati, Armigeri & qui vulgo generosi & Gentelmen dicuntur. Hi omnes aut Hæreditario iure his titulis gaudent aut ijsdem virtutis ergo à Rege exornantur. Ducis autem nomen soli Regis filio natu maximo hoc tempore conuenit: quamuis olim plures eo titulo insigniti fuerint. Plebei, ciues sunt, qui in sua quilibet vrbe publicis funguntur muneribus & in Parlamentarijs Angliæ comitijs locũ habent: vel ingenui, quos Legales homines lex vocat & ex agris quos optimo iure tenent, quadraginta ad minimum solidos quotannis colligunt: vel opifices, qui mercede operam locant. Diuiditur autem tota Anglia in Comitatus quos vel conuentus vel pagos propriè & latine voces. Angli vero peculiari vocabulo Shyres appellant à Scyre Saxonica dictione, quæ partiri & diuidere significat. Comitatus vero in Centurias (quæ in nonnullis partibus VVapentaches à tactu armorum nominantur) & hæ in decurias diuiduntur. In his Comitatibus difficilioribus temporibus, præfectus Regius, quem Lieutenant vocant, ne quid detrimenti respublica capiat, constituitur. Singulis vero annis nobilis aliquis ex incolis præficitur, quem vicecomitem, quasi vicarium Comitis & Anglica lingua Shyriffe, id est, Comitatus præpositum vocant: qui etiam Comitatus vel Prouinciæ Quæstor recte dici potest. Eius enim est publicas pecunias prouinciæ suæ conquirere, mulctas irrogatas vel pignoribus ablatis colligere, & ærario inferre: iudicibus præsto adesse, & eorum mandata exequi: Duodecim viros cogere, qui in causis de facto cognoscunt & ad iudices referunt (Iudices enim apud Anglos iuris solum & non facti sunt iudices) condemnatos ad supplicium ducere & in minoribus litibus cognoscere. In maioribus autem jus dicunt iustitiarij, quos olim itinerantes, nunc Iustitiarios ad Assisas vocant, qui quotannis hos Comitatus bis obeunt, vt de causis cognoscant & de incarceratis sententiam ferant. Hi autem ab Henrico II. instituti vel potius restituti iurant se cuilibet ius suum conseruaturos illæsum.

Nomina Comitatuum hæc sunt.

Cantium	21:30. 51:15.	Berceria	19:30.51:38	Eboracum, York	19:24. 54 43
Southsexia	20:30. 50:50	Oxonia	19:17.52:0	Dunelmẽs. epi.	18:59.55:45
Surria	20:20.51:16.	Glocestria	18:8. 52.13	Northũbria	18:30. 56:20
Hartfordia	20:37.51:59	Monumetha	17:32.52:15	Cũberlandia	16:30.55:50
Essexia	21:24. 51:50	Herefordia	17:34.52:32	VVestmerlandia	17:20. 55:30
Southamtonia	19:13.50:56	VVigornia	18:10. 52:38		
VViltonia	18:29. 51:15	Salopia	17:25.53:20	Lancastria	17:16.55:1
Dorcestria	17:49. 50:48	Staffordia	18:10. 53 24.		
Somersetus	17:24. 51:20			Middelsexia	20:30.51:40
Deuonia	16:10. 50:54.	Northamptonia	19:42. 52:32		
Cornubia	14:50. 50:20	VVarvvicum	18:56.52:39	Cestria Comitatus Palatinus	17:8. 53:55
Buckinghamia	19:38.52:15	Lecestria	19:28. 52:2		
Bedfordia	20:10.52:25	Derbia	18:58. 53:27	Denbigh	16:30.53:57
Huntingdonia	20:30.52:38	Nottinghamia	19:22. 53:28	Flint	16:49.54:0
Cantabrigia	20:49.52:30	Lincolnia	20:2.53:49	Montgomery	17:0.53:13
Suffolcia	22:0. 52:40.	Rutlandia	19:58.53:4.		
Norfolcia	21:50.53:10				

Caernaruan	15 22.54:0.	
Merionidh	:16:0.53:28	
Anglesey	15:20.54:10	
Radnor	17:4. 52:50	
Brecknok	16:42.52:25	
Glamorgan	16:20.52:0	
Caermarden	15:29. 52:17	
Denbrock	14:47.52:8	
Cardigan	15:5. 52:36	

Quod ad Ecclesiasticam jurisdictionem attinet, duas nunc habet Anglia prouincias. Archiepiscopos item duos: Cantuariensem totius Angliæ Primatem & Eboracensem, quibus subsunt Episcopi sequentes

Sub Cantuariensi Archiepiscopo, qui & Roffensis est, subsunt Episcopi:

Londinensis	20:41.51:34	Couentrensis & Lichfeldensis simul	19:4. 52:49. 18:36.53.12	Petri Burgensis	20:26. 52:58
Cicestrensis	19:55. 50:50	Staffordiensis	18:10:53:24	Bristolensis	17:37.51:45
VVintoniensis	19:12.51:10.	Derbiensis	18:58. 53:27	Meneuensis ad fanum S. Dauidis	14:20.52:25
Salisburiensis	18:34.51:14.	Lincolnensis	20:2. 53.49	Landauensis	16:47.51:52
Exoniensis, Excester	16:32-50:49	Salopiensis	17:25.53:20.	Banchorensis	15:37.53:5
Bathoniensis & VVellensis simul	17:50. 51:38 17:34.51:25	Eliensis	21:0. 52:45	Assaphensis siue Elyvensis	16:28.54:3
Glocestrensis	18:8. 52:13	Nordovicensis	22:10.53:8		
VVigornensis	18:10.52:38	Oxfordiensis	19:18.52:0		
Herefordensis	17:34.52:32				

XII. Sub Archi-

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 64 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 65 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

Sub Archiepiſcopo Eboracenſi vero ſubſunt Epiſcopi:

Ceſtrienſis 17:8. 53:55 Dunelmenſis 18:59. 55:45 Cariolenſis alias Carlyſle 17:14. 56:1.
Item Manniæ Epiſcopus in Bala Curi 14:44. 55:27.

Angliæ tribunalia ſiue iuris fora, quas etiam curias dicimus, in triplici ſunt differentia. Alia enim ſunt Eccleſiaſtica: alia temporalia, & vnum mixtum, quod Parlamentum vocant, & ex tribus Angliæ ordinibus conſtat & totius Angliæ corpus repræſentat. Hoc à Principe pro arbitrio indicitur ſummamq; & ſacroſanctam authoritatem habet in Legibus ferendis, confirmandis, antiquandis, interpretandis, & in omnibus, quæ ad Reipublicæ ſalutem ſpectant. Fora temporalia ſunt duplicia, iuris ſcilicet & æquitatis. Iuris fora ſunt, Bancus Regius, Curia camerae ſtellatæ, Scaccarium, Curia VVardorum & Liberationum, Admiralij, Aſſiſæ & alia quædam obſcuriora quæ omittimus. Bancus Regius ita dictus, quod rex ipſe in eo præſideat, Coronæ placita tractat. Camera ſtellata ſuperiori ſeculo inſtituta fuit, vt ibi tractarentur Criminalia, vt periuria, impoſturæ, dolus malus, &c. Bancus communis, quia communia placita inter ſubditos ex iure anglico, quod commune vocant, in hoc diſceptantur, nomen habet. Scaccarium à tabula quadrangula ad quã aſſidetur nomen traxit, in eo omnes cauſæ audiuntur, quæ ad fiſcum pertinent. Curia VVardorum, à pupillis, quorum cauſas tractat nomen habet. Nam cum aliquis moritur, qui poſſeſſiones à Rege tenet, tam hæredes quam eorũ patrimonium redditusque in Regis poteſtate & tutela ſunt, donec alterũ & viceſimum ætatis annum compleuerit. Admiralij curia res maritimas tractat. Aſſiſæ, quas dicimus, in quolibet Comitatu bis anno habentur, in quibus duo Aſſiſarum Iuſticiarij ad hoc deputati cum Eirenarchis ſiue pacis Iuſticiarijs comitati & de ciuilibus & de criminalibus cognoſcunt. Loca autem & tempora in vnoquoq; comitatu edicto publico quindecim ante Aſſiſas diebus denuntiantur. Fora æquitatis ſunt Cancellaria, Curia requeſtarum, Concilia de limitibus VValliæ & parte Boreali: Cancellaria à Cancellario, qui ibi præſidet nomen traxit. In hac ex æquo & bono iudicatur, & ſummum ius, quod & ſumma crux videri ſolet, temperatur. Requeſtarum curia, pauperum & Regiorum famulorum cauſas audit.

Eccleſiaſtica fora præcipua ſunt Synodus, quæ conuocatio Cleri dicitur & ſemper ſimul cum parlamento habetur. Et Synodi prouinciales in vnaquaque prouincia. Poſt hæc Archiepiſcopi Cantuarienſis curiæ numerantur, videlicet Curia de arcubus à loco ſic dictus: cui iudex præeſt, Decanus de arcubus appellatus, qui ad omnium in Cantuarienſi prouincia appellationes reſcribit. Curia audientiæ, quæ omnes prouinciarum querelas, cauſas & appellationes recipit. Curia prærogatiuæ, in qua Commiſſarius de hæreditatibus ab inteſtato ſeu teſtamento delatis, ius dicit. Curia facultatum, in qua præfectus conſtituitur, qui deſideria cognoſcit eorum, qui Eccleſiaſtici iuris, quandoq; rigidi atq; ſtricti relaxationem petunt, & regiſtrarius, qui conceſſas diſpenſationes in ſcripta refert. Curia peculiarium, ad quã ſdam parochias ab Epiſcopali iuriſdictione in nonnullis diocœſibus ſeparatas & Archiepiſcopo Cantuarienſi peculiares ſpectat.

Academiæ in Anglia ſunt tres. Oxonienſis 19:18. 52:0. Cantabrigienſis 20:50. 52:31. & Londinenſis 20:41. 51:34.

Medius Meridianus 18: 20. reliqui ad hunc inclinantur ratione 52: 55. parallelorum.

ANGLIAE
II. TABVLA.

Quæ continet

Northumbriam, Cumberlandiam Comitatus, & Dunelmenſem Epiſcopatum.

Meridiani diſtant iuxta rationem 56:15. Paralleli ad circulum maximum.

XIII.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 66 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS


NORTH' VMBRIA, CVM BERLANDIA, ET DVNELMENSIS Episcopa tus.
Miliaria mediocria Angliæ
SCOTIA
PARS
MARE HIBERNICVM
MARE GERMA
Esk dalia
Anan: dia
Gilau
Kirkenbrik
Dundranan abb.
New abbay
Carlaverok cas.
Durnobrik
Torduff
Red Kirk
Gretney kirk
Solway Frith
Per Gerardum Mercatorem Cum Priuil.
LANCASTRIA
NORTHVMBRIA
WESTMERLANDIA
CVMBERLANDIA
DVNELMENSIS EPISCOPATVS
EBORACENSIS PARS
COMI:
Coket dale
Readesdale
Tindale
Holy iland
Farne Island
The Staples
Lindisfarne
Berwick
Tweed mouth
Tweed fluu.
Lander fluu.
Teuiotdale
Jedward abb.
Jedburgh
Melros abb
Driburgh
Kelso abb.
Roxburgh
Selkirk
Peebis
Dryfmlar ca.
Hawick
Whele kirk
Howyn ca.
Wooler
Alnwick
Morpeth
Newcastle
Durham
Darlington
Richmond
Yarum
Scarborough
Whitby
Pontefract
Doncaster
Rotherham
Sheffield
Chesterfield
Derby
Lancaster
Preston
Wigan
Warrington
Manchester
Chester
Kendal
Penrith
Carlisle
Cockermouth
Whitehaven
Workington
Furness
Ulverston
Hartlepool
Stockton
Northallerton
Thirsk
Ripon
Knaresborough
Wetherby
Tadcaster
York
Beverley
Hull
Grimsby
Boston
Lincoln
Gainsborough
Retford
Nottingham
Derby
Ashbourne
Leek
Macclesfield
Stockport
Bolton
Wigan
Liverpool
Ormskirk
Preston
Lancaster
Kendal
Appleby
Brough
Kirkby Stephen
Richmond
Middleham
Leyburn
Masham
Ripon
Harrogate
Knaresborough
Wetherby
Tadcaster
York
Selby
Howden
Beverley
Hull
Patrington
Hedon
Burlington
Bridlington
Scarborough
Whitby
Guisborough
Stockton
Darlington
Durham
Chester le Street
Newcastle
Gateshead
Tynemouth
North Shields
South Shields
Sunderland
Hartlepool
Seaton Delaval
Blyth
Morpeth
Alnwick
Berwick
Tweedmouth
Holy Island
Farne Islands
The Staples
Bamburgh
Belford
Wooler
Coldstream
Kelso
Jedburgh
Hawick
Selkirk
Melrose
Galashiels
Peebles
Lauder
Dunse
Duns
Greenlaw
Kelso
Coldstream
Norham
Berwick
Tweedmouth
Spittal
Holy Island
Farne Islands
The Staples
Bamburgh
Belford
Alnwick
Warkworth
Amble
Morpeth
Bothal
Ashington
Newbiggin
Blyth
Seaton Delaval
Whitley
Tynemouth
North Shields
South Shields
Gateshead
Newcastle
Chester le Street
Durham
Sedgefield
Stockton
Hartlepool
Seaton
Whitby
Scarborough
Filey
Bridlington
Burlington
Hedon
Patrington
Hull
Beverley
Howden
Selby
York
Tadcaster
Wetherby
Knaresborough
Harrogate
Ripon
Masham
Middleham
Leyburn
Richmond
Northallerton
Thirsk
Yarum
Malton
Pickering
Helmsley
Kirkbymoorside
Thornaby
Middlesbrough
Guisborough
Skelton
Saltburn
Redcar
Marske
Whitby
Robin Hoods Bay

ANGLIAE
III. TABVLA.

Sequentes continens Comitatus,

VVeſtmorlandiam, Lancaſtriam, Ceſtriam, Caernaruan, Denbigh, Flint, Merionidh, Montgomery & Salopiam.

CVM INSVLIS:

Mania, quę etiam Mona & à Ptolomæo Monoeda, quaſi remotior Mona ad differentiam alterius ac ſequentis Monæ ſic dicta: Comiti Derbienſi paret, qui huius Manniæ Regulus appellatur.

Angleſey, quaſi Angliæ inſula, alias Mona, quæ ob fertilitatē Mater VValliæ dicitur, olim antiqua Druidum ſedes, tenui tantum freto Menai à Britannia continente diuiſa. Proprium ſuum habet Comitem.

Meridiani diſtant ratione 54:30. Paralleli ad circulum maximum.

XIV.



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 69 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ANGLIAE
IIII. TABVLA.

In qua hi sunt Comitatus,

Cornubia, Deuonia, Somersetus, Dorcestria, VViltonia, Glocestria, Monumetha, Glamorgan, Caermarden, Penbrock, Cardigan, Radnor, Breknoke, Herefordia & VVigornia.

Meridiani positi sunt ex ratione Paralleli 51: 30. ad circulum maximum.

XV.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 70 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 71 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ANGLIAE
V. TABVLA.

Hos continet Comitatus,

Eboracum, Lincolniam, Derbiam, Staffordiam, Notinghamiam, Leceſtriam, Rutlandiam, & Norfolciam.

Meridiani diſtant iuxta rationem Paralleli 54:30. ad circulum maximum.



XVI.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 72 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 73 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ANGLIAE
VI. TABVLA.

In qua hi Comitatus,

VVarvvicum, Northhamtonia, Huntingdonia, Cantabrigia, Suffolcia, Oxonium, Buckinghamia, Bedfordia, Hartfordia, Eſſexia, Berceria, Middelſexia, Southhamtonia, Surria, Cantium & Southſexia.

Inſula quoque,

VVight, Anglis, Guith Britannis, Vecta olim. Tam modico interfluente Euripo Solent olim dicto, à continente Britanniæ aeulſa eſt, vt cohæſiſſe videatur, vnde etiam Britannicum illud nomen Guith, quod diuortium denotat, factum videtur. Bellicoſæ gentis altrix: in illas Eccleſiaſticam juris dictionem Epiſcopus VVintonienſis, Ciuilem vero Comes Southhamtonienſis habet.

Meridiani poſiti pro ratione Paralleli 51: 45: ad circulum maximum.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 74 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 75 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ANGLIAE
VII. TABVLA.

Has quatuor Insulas sub Anglorum Imperio comprehensas habet: quarum priores duæ videlicet **Mona** antiqua sedes Druidum, Britannis **Mon**, **Tirmon**, & **Ynis Dowil** id est, insula opaca, Anglis Anglesey 15:20.54:52.& **Vecta**, Britannis **Guith**, vulgo **Wigt** dicta 19:14.50:40.ad littus Angliæ, posteriores vero duæ **Garnesay** 17: 30. 49: 16. & **Jarsay** 18:10.48:56. iuxta Gallię littus sitæ.

Si quis plura de Britannicis Insulis scire desiderat, is legat Georgium Buchananum, Guilielmum Camdenum, Iohannem Lesæium, Richardum Stanihurstium & Raphaelem Holinsheadium, qui diligentissimè has Insulas descripserunt.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 76 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS









Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 77 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

NOBILISSIMO ET MVLTIS NOMINIBVS ILLVSTRI VIRO D. HENRICO RANZOVIO DANIAE PRODVCI.

QVANQVAM nobilissime Ranzoui nulla mihi tecum intercedat amicitia, vt ea fretus te in tanto rerum fastigio sedentem, familiariter meis literis interpellare debeam: tamen facit hoc humanitas tua singularis à multis dotibus celebrata, vt te non ægrè laturum, si vt hæres paternorum bonorum, ita etiam paternæ amicitiæ quasi successor familiarius quædam agere tecum conarer. Itaque cum Gerardi Mercatoris Patris mei charissimi, iam in Christo defuncti, Labores Geographicos excuterem, eosq; præelo committere, vt eorum aliquem fructum caperemus, decreuissem, incidi in literas à te ad Patrem humanissimè scriptas, simulq; inueni quosdã de Regni Danici & vicinarum regionum Politico statu tractatus, à te ad Patrem transmissos. Eos perlegi, & ad vsum meum recisos & aliquantulum interpolatos, vt cum Patris instituto conuenirent, orbis arctoi tabulis, quas nunc cum reliquis Septentrionalibus tabulis in lucem emitto, adiunxi. atq; in hoc paternæ amicitiæ hæreditatem cernere volui. Cum autem historia omnibus hominibus sit vtilis, & præcipuè viris in republica versantibus necessaria: ea autem sine locorum & temporum certa demonstratione, planè sit cæca & in tenebris dinicet: rectè faciunt qui Chronologiam & Geographiam velut duas faces, ad Historiarum lectionem diligenter adiungunt. Vtrumque Pater meus editis diuersis operibus sedulo, dum vixit, sectatus est: an verò vtrumq; sit assecutus posteritas ab inuidia, ira & odio libera, facile iudicabit: certe vtrumq; assequi pro virili conatus est. Igitur cum Chronologiam certis demonstrationibus temporum confirmatam tradidisset, eamq; ad incudem reuocasset: Cumq; Ptolomæi tabulas suo pristino nitori emendatas restituisset, statim se ad nouam Geographiam exornandam & diuulgandam contulit, & vt reipublicæ literariæ in hoc consuleret, primum Galliæ, Germaniæ, Italiæ, cæteras q; tabulas edidit, quæ propter quotidianas rerum conuersiones quam maxime hoc tempore desiderarentur, ea ratione etiam sumptibus leuandis viam consternens. Quia autem semper erga eos à quibus esset adiutus, Pater fuit gratissimus, nec quenquam sua laude priuari voluit: æquum est vt & ego eius vestigia consequar, vtq; eas tabulas tabularumq; inscriptiones, quas à te accepit, tibi vicissim in monumentum grati animi inscribam. Accipe igitur Nobilissime Ranzoui, Patris mei in postrema senectute confectos labores, tuamq; Daniam, Norwegiam, Sueciam & cæteras orbis arctoi vicinas regiones, in ijs contemplare, subeatq; animum veteris amici recordatio, qui quod ipse debuit & voluit, nunc per filium suum hæredem tibi offert & dedicat. Quod vt benevolo animo à me factum, ita vt eodem à te animo accipiatur, te benignè rogo, vale. Duysburgi Clivorum, Anno 1595.

Tuæ Nobilit.

Studiosiss.

Rumoldus Mercator.

XVIII. 2.

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

NORVVEGIA
&
SVECIA
PRIMVM & SECVNDVM ARCTOI
ORBIS REGNVM.

ORbis Arctous, quem Scandiam & Scandinauiam veteres, officinam gentium & vaginam populorum incompertæ magnitudinis Plinius appellat, vicinus extremo ad boream Germaniæ littori, in tria Regna Norvvegiæ, Svveciæ & Daniæ multis iam seculis distinctus est. Huius peculiare olim regnum Norvvegia fuit: quæ nunc Daniæ Coronæ subiecta, ab eadem suos Præfectos accipit. Dicta autem est Norvvegia quasi septentrionis via. Eius regiones sunt amplissimæ ac vastissimæ, sed montibus, solitudinibus & rupibus asperæ, magnaq; ex parte syluis piniferis inuiæ. Quinque in ea in vniuersum hoc tempore sunt arces Regiæ, totidemq; Præfecturæ præcipuæ: quarum Prima & extrema versus meridiem est Bahusia 33:12.59:26. Ei sunt subiecta oppida, Marstrand in peninsula scopulosa situm, & halecum piscatura nobile 33:15.59:30. & eo obscuriora Koongeef, Congel forte prope Bahus & Oddevvold 33:12.60:52. nisi sit Odvvad. 33:4.60:0. Secunda arx est Aggerstrusia, in cuius prouincia celsissimi mali nauium, & asseres querni & abiegni lignaque ædificijs idonea ingenti copia in Hispanias & alias gentes quotannis euehuntur. Oppida huic subijciuntur Ansloia Episcopi sedes 32:4.60:26. Tonsberg seu Koningsberg, Fridrichstad, Saltzburg & Schin vel Schon, vbi fodinæ cupri & ferri sunt, item Hammaria maior & minor 32:0.61:22. regiones olim Episcopo claræ, nunc Ansloiensis inspecti oni commissæ, & sinu Mosiano interlabente diuisæ. Tertia arx est Bergerhusia, sub ea sunt Berga 27:14.62:4. & Staffanger 27:14.60:22. ciuitates. Est autẽ Berga totius Norvvegię emporium & horreum, celeberrimum, Præfecti Regij ac Episcopi sedes. Ibi piscis ille nobilis & delicatus venditur, qui secundum littus Norvvegiæ captus, piscis Bergensis dicitur, propterea quod inde in multas regiones à Mercatoribus distrahatur. Sunt ibi Vandalicarum & maritimarum ciuitatum famuli, qui cum ibi mercandi causa totum annum perdurent, partem vnam vrbis occuparunt, quam partem incolę pontem, sed exteri tabularium suum vocant. Hi Mercatorum famuli magna cũ incolis quotannis commercia exercent, quæ aliquot tonnas aureorum excedant, sed tamen eorum negotiatio illic quotidie minuitur, nec est hodie tanta ac ante annos quadraginta fuit; nam incolarũ industria quotannis crescit & augmentum accipit, ita vt non solum sua negotia domi facile tractent, verum etiam foris abunde & accuratè vicinis regionibus necessaria subministrent. Staffanger ciuitas etsi eundem cum Berga Præfectum habeat, suum tamen peculiarem habet Episcopum ibidem residentem. Quarta arx est Nidrosia à Nidero fluuio & Rosa, quod templi nomẽ est sic dicta, vulgo Trundtheim 34:0.63:22. Sedes olim Archiepiscopi & Regni Norvvegiæ, amplissimè patentem diœcesim habet, in qua plurimus piscis Bergam, postea ad emporium diuectus, & pelles pretiosæ colliguntur. Quinta & vltima versus arctũ Norvvegiæ & orbis Christiani arx est VVardhusia 35:30.62:0. paruæ insulæ VVarde, ipsa quoq; parua & obsoleta hoc tempore insistens. Quæ nulla singulari munitione ac ne turri quidem vel castello insignis, oppidulum tamen adiunctum habet, quod piscatorum casæ stipant. In hac arce seu potius casa Præfectus Regius æstate habitat, & amplissimum illius littoris Norici tractum in Zona frigida vsque ad Russiæ fines gubernat.

SVECIÆ REGNVM

SELANDIA inter reliquas Daniæ insulas est maxima. Hanc aliqui quasi maris terram, quod vndique mari incincta sit: aliqui vero quasi seminis terram, eo quod sua sponte absque annua stercoratione segetum omnis generis ferax sit, dici volunt. Habet vnum Episcopatũ cuius præsul Roeschildiæ 34:20.56:24. sedem antiquitus habuit. Ibi multorum Regum & Ducum insignia sepulchra conspiciuntur. Quindecim alioqui ciuitatum, duodecim Arcium Regiarum Selandia capax est. Inter ciuitates autem Hasnia siue Copenhagen 34: 50.56:24. est præcipua ob magnitudinem, opulentiam & maximam commoditatem portus, quem & incredibilis profunditas & obiectus insulæ Amac nautis tutissimum facit. Est in hoc loco celebris Academia, quam multis ac continuis bellis collapsam Rex Christianus Tertius instaurauit, in eam collatis magnis reditibus, vt non solum duodecim Doctores & magistri professores, verum etiam ingens pauperum scholasticorum numerus inde sustentetur: quos reditus Fredricus secundus insigniter auxit. Ex hac schola passim Ecclesijs ceu perpetua seges Doctorum, atque Pastorum tam in Regno Daniæ quam Norvvegiæ subministratur, atque sufficitur. Supra Hasniam est Helsingora & prope eam arx Regia Croneburgum 34:50.56:45. cui ab altera parte vltra mare similis arx Helsinborch cum oppido eiusdem nominis respondet. Ibi Selandia & Scania prominentibus vtrimque promontorijs ita prope coëunt vt vix parui miliaris inter se relinquant maris spacium, quod DE SVNDT vocatur. Ad hunc locum omnes naues orientem versus cursum instituentes, velut ad centrum coire & Regi vectigal pendere coguntur: cumque in vtroque littore arx posita sit, Rex, si quando id necessitas postulat, suis in medio collocatis nauibus, ita has fauces occludere potest, vt quantumuis etiam numerosam classem ab ingressu, vel egressu prohibere queat. Huc sæpe vno die 200. sæpe etiam 300 naues ex diuersis Europæ partibus conuenire contingit. Sub hac Selandia sequentes sunt insulæ, Amagria, Huena siue VVeen in qua schola astronomica & metheorologica in arce Vraniburgi fundata est ad artem istam diuinam obseruationibus mirificis & inauditis emendandam, ac suo loco & honori tandem restituendam valde idonea, Moenesland in qua ciuitas Stregoa, & plures aliæ.

SCANIA inter Regni Daniæ prouincias amœnitate & fertilitate agrorum admodum insignis est regio, atque cum Suecia continens. Hæc quondam in duos Ducatus, HALLANDIAM & BLEKINGIAM diuisa, nunc Præfecturas vigintitres & Ciuitates quindecim complectitur

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 87 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 88 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

Plectitur. Eius metropolis est Londa 35:40.56:45. vbi Regni Archiepiscopus sedem suam fixit: cuius olim tanta fuit potentia, vt etiam Regi suo bellum minari non vereretur: nunc autem in ordinem redactus, vt cæteri Episcopi, qui septem sunt numero in Regno Daniæ. Est etiam hic Malmogia, quæ & Ellebogen dicitur 35:20.56:20. insigne emporium & præcipua totius regionis ciuitas propter nundinas & frequentes negotiationes, quas ibi prouinciales exercent. In Hallandia est arx VVarburgum altissimis montium iugis superstructa 34:20. 58:45. Eam à Succis anno 1565. captam & impositio præsidio munitam, cum Daniel Ranzouius iussu & auspicio Regis Frederici secundi arcta obsidione præmeret, vt tandem se dedere sit coacta, globo ex tormento æneo per caput traiecto peremptus est anno 1569. vir virtutibus & laude belli valde illustris. Nam Regis Daniæ Frederici Secundi summus belli Dux contra Succos designatus paucis ante mortem annis in campo Astorfheide iuxta Falkenberg 35:0.58:14. quatuor millibus instructus ad viginti sex millia profligauit. Adiacent huic regioni insulæ Landoc, Hannoe, Bornholm 37:30. 55:40. insula famosa in quatuor Præfecturas diuisa est, & tres Ciuitates ac vnam arcem continet. Gotlandia 42:20.58:0. tab. Liuoniæ, in qua antiquum emporium VVisby aliquando valde florens, nunc autem translata ad alias Ciuitates mercatura viris opibusque attenuatum iacet: præter frumentum, caseum, butyrum, variasque pelles, etiam abietes procerissimas, quarum frequentes ibi sylvæ sunt, malis nauium fabricandis & præterea lapides ad structuram vtiles, nec non & calcem copiose emittit. Episcopum huic insulæ Fredericus secundus primus præfecit, & alios in sempiternum præficiendos liberali salario concesso ordinauit.

Medius meridianus 33. reliqui ad hunc inclinantur pro ratione 56:& 58. graduum.

DANIAE

II. TABVLA.

Quæ

Iutiæ Septentrionalis partem complectitur.

IVTIA septentrionalis frumenti, boum & equorum ferax, in quatuor sedes Episcopales latissimè patentes diuisa est, in Ripensem quæ Ripæ 29:54.56:6. Arhusiensem quæ Arhusij 31:40.57:10. Vandalicam quæ Aalburgi 31:33. 58:15. & Viburgensem quæ Viburgi 30:40. 57:40. consistit. Ripensis diœcesis, Præfecturas triginta, Ciuitates septem, & Regias arces decem habet. Koldingæ Regina Dorothea Christiani tertij vidua, scholam suis sumptibus instruxit. ARHVSIVM Præfecturas 31. Ciuitates septem & arces quinque habet. Sub ea sunt insulæ Samsoe, Hielm, Tuen, Hiarnoe, Gerno forte 31:20.57:0. sepultura Hiarni Regis celebris, Hilgenes & aliæ plures. VANDALICA quæ & Burglauiensis diœcesis, Præfecturas tredecim, & Ciuitates sex habet. Partes eius maxime illustres sunt VVendsyssel 30:30.58:40. Hanhæret 29:30:58:40. Thyland 29:10.58:10. & Morsoe 58: 6. 29:34. VVendsyssel siue Vensilia, id est, Vandalorum terra & sedes, Præfecturas sex, Oppida tria & arcem vnam habet. Hic est mons Alberg in quo gigantum monumenta conspiciuntur. adiacent insulæ Grysholm, Hertzholm, Tydsholm & aliæ 32:0.58:56. In Hanhæret est rupes visendæ altitudinis, Skarringklint dicta, & in oris eius Syrtes, quas Sandores & Braccas appellant. Ei subsunt insulæ Olandt & Oxeholm. Thya Præfecturas quatuor, oppidum vnum nomine Thystad, vbi Christianus 3. scholam iuuentuti primus condidit, & arcem vnam Orumnam habet. Sub ea sunt insulæ Handsholm, Ostholm, Iegen, Cisland, Egholm, Bodum, Morsæa, Præfecturas tres, vnicam ciuitatem Nicopiam, & arcem vnicam Lundsor habet. Insula ei adiacet vna, Aggeroa. VIBVRGENSIS diœcesis Præfecturas sedecim, Ciuitates tres, & arces tres complectitur. Viburgi generale concilium triumvirum nobilissimorum & sapientissimorum de causis ciuilibus cognoscendis & dijudicandis, toto ferè anni spacio continuatur, nisi vbi inquietæ functionis molestijs defatigati, se in prædijs suis paululum recreant & vires recolligunt. Huc vniuersæ Cimbricæ chersonensi casus, quæ relæ de finibus & hæreditatum controuersiæ, omnesque capitalium causarum animaduersiones, cuiusmodi sunt cædes, adulteria, furta, & veneficij crimina deferuntur.

Meridiani distant ex ratione paralleli 57:50. ad circulum maximum

XXI



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 90 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

DANIAE
III. TABVLA,
In qua
SLESVICENSIS DVCATVS, pars.

CIuitates Ducatui Slesuicensi subiectæ quia ijsdem cum Danis gaudent priuilegijs, eodem quoque iure cum ijs vtuntur. Subditi à sententijs magistratuum cuiuscunque loci ad Principes ac eorum senatores possunt prouocare & non vltra, vt priuilegijs cautum est. Hic enim Ducatus est feudum Regni Daniæ, eiusque Princeps tot equites peditesque regno Daniæ alere tenetur, quot Holsatia Imperio Romano. Nobiles propria possident dominia ac ijsdem cum Danis fruuntur priuilegijs & iure. Habet vnum hic Ducatus Episcopatum Slesuicensem 31:8. 55:13. Capitula duo Haderslebiense in prima tabula Daniæ 30:55.56:8. Monasteria habet tria. Castra tam Principum quam Nobilium diuersa. Ordo autem Senatorum cuius iam aliquoties facta est mentio, plerumq; constat numero 24. presonarum equestris ordinis quibus adhibetur generalis, Cancellarius, nec non nomine vnius cuiusque Principis duo Iuris Doctores. Hi omnes causas deliberant tam pacis quam belli tempore, & in vtroq; Ducatu ius pronunciant. Quorum conuentus singulis annis bis institui debet. Generalis gubernatio horum Ducatuum Regi Daniæ ac Adolpho Duci Holsatiæ incumbit, & per vices ab vno ad alium transfertur. Proinde cum ad Regem deuoluitur, Regiæ suæ maiestatis nomine per Henricum Rantzouium Vicarium Regis administratur. In arduis tamen negotijs nihil certi concluditur nisi præcedente consensu omnium Senatorum, inter quos primarium locum obtinet Episcopus Lubecensis & Slesuicensis.

HOLSATIA
DVCATVS.

HOlsatia diuisa est in partes quatuor in DITHMARSIAM, HOLSATIAM, STORMARIAM & VVAGRIAM. Hæ fuerunt olim Comitatus & postea à Friderico Imperatore tertio, Christierno primo id petente, erecti sunt in Ducatum, qui iam sacro Romano Imperio 40. equites ac 80. pedites alere tenetur. Dithmarsia autem primo in libertatem constituta fuerat per aliquot centum annos, quæ etsi à Friderico Imperatore, Christierno primo in feudum concessa, tamen eo tempore nondum subacta fuit: Filij quidem ipsius Rex Iohannes & Dux Fridericus anno Domini 1500. expeditionem in illam susceperunt, sed istorum exercitu fuso libertatem suam Dithmarsi defenderunt, donec tandem à nepotibus Christierni primi duce Iohanne & Adolpho ac Friderico 2. Rege Daniæ sunt victi ac superati Anno Domini 1559. Habuerunt 48 viros totius terræ præsides, ad hos ex singulis parochijs appellatio deuoluebatur. Hi iudicium exercebant. Subactis autem illis cum iam diuisi sint in duas partes, in singulis præcipui eliguntur ex incolis eius terræ viri 12. vna cum præfecto, qui plerunque est Doctor siue Licentiatus Iuris. Hi omnes honesta habent salaria à Principibus, additurq; illis scriba, nec non inspector siue præses ex nobilitate Holsatica. Horum alter ex parte Regia plerumque est præfectus Steinburgensis 31:2. 54:20. alter vero ex parte Ducis Adolphi est præfectus Gottorpiensis 31:8. 55:13. Hi nunc iudicio præsunt in singulis partibus, omnesque discutiunt causas. Subditis tamen libera conceditur appellatio ad Principes & Senatores vtriusque Ducatus, tam Slesuicensis quam Holsatensis, sed non vlterius. Id enim in capitulatione ita transactum est. Habuerunt antea ius scriptum, quod paululum iam mutatum est, & secundum ius commune reformatum, compilatumq; ab Henrico Rantzouio Vicario Regio, Sigefrido Rantzouio, domino quondam in Nienhus 32:14. 54:38. vel 30:34. 54: 25. D. Adamo Trazigero & D. Erasmo Kirslemio, secundum quod ius omnes causæ deciduntur, & pænæ delictorum irrogantur. Nulla præstant seruitia Principibus, sed de singulis terræ paludosæ iugeribus tenentur soluere florenum; de iugeribus autem terræ arenosæ dimidiam partem sementi dependunt.

Holsatia habet quatuor ordines, nobilium, Ecclesiasticoũ, ciuium, & rusticorum, quorum duo sunt genera. Aliqui enim possidẽt bona propria, hæreditaria ac libera. alij vero bona, conductitia censui alijsq; exactionibus & seruitijs obnoxia. Nobiles habent arces ac prædia sua cum pleno dominio maiore ac minore, cum venationibus, piscationibus & aucupijs, quę maxima ex parte sunt allodialia & hæreditaria. Nonnulla sunt feudalia tam masculina quam fœminina. Holsatorum priuilegijs cautũ est, ne nouis exactionibus aut vectigalibus à Principibus grauentur, prout etiã Principibus non integrũ est bella suscipere non interueniente consensu ordinis equestris. Hæc priuilegia & alia Principes confirmare tenentur, antequam illis à subditis iuramentum fidelitatis præstatur. Familias non habet vltra 24. quarum nomina in Holsatica chorographia recensentur, ex qua excerpi possunt, sed in singulis multi ex eadem stirpe

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 91 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 92 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

stirpe progeniti existunt, vt Ranzouiorum fere hoc tempore sunt centum & quinquaginta castra ac varias possessiones obtinent. Inueniuntur etiam Alefeldiorum & Povvischiorum fere totidem. Habet Holsatia Episcopatum vnum, videlicet Lubecensem. Hamburgensis enim Episcopatus Bremensi subiectus est. Capitula tria, Lubecense 32:39.54:18. Hamburgense 31:30.54:0. & Outinense 32:28.54:38. Abbatias tres, videlicet Reinfeldensem 32: 23.54:14. Bordesholmensem 31:39.54:45. & Scismariensem 32. 55.54:50. Monasteria decem, inter quæ tria sunt nobilium monialium, magnique prouentus, quæ adhuc florent. Cætera fere in Scholas ac Xenodochia sunt conuersa.

Nobilium lites dijudicantur à senatu Ducatuum iudicio, præsidentibus plerumque Principibus, vt priuilegijs ipsorum cautum est. Ab ordine senatorio interposita idonea cautione appellare licet ad cameram Imperialem.

Ciues gaudent propriis priuilegijs ac vtuntur Iure Romano siue etiam Lubecensi Mulctæ inter Principes ac Ciuitates plerumque diuiduntur. Molendina spectant ad Principes. Subditi à sententijs quas senatus ciuitatum tulit appellare possunt ad quatuor ciuitates iudicio peculiari exercendo destinatas. Ab his permittitur ipsis appellatio ad Principes ac Senatores Holsatiæ, ac vlterius etiam ad iudicium Cameræ Imperialis, ita tamen vt cautio idonea præcedat. Rusticorum causæ ventilantur per eorum causidicos sub dio in patentibus campis. Adsuntque eiusdem loci viri nobiles vna cum præfectis ac duobus Assessoribus, veluti testibus. Ibi in medium prodeunt, qui contra alios litem se habere existimant, auditisque & cognitis partis vtriusq; actionibus defensionibusq;, conuentus vniuersus rusticorũ in consilium exire iubetur. Expensis ibi diligenter controuersijs in concessum redeunt, vocatisq; litigatoribus de iure pronunciãt. Si quis stare iudicio non voluerit, ad duodecim constitutos iudices vel ad aliquot paræcias, & ab his etiam ad senatores eius Principis cui rustici sunt subiecti, prouocare licet. Ab his etiam appellatio ad commune forum Holsaticum, cui Principes stipati confessu senatorum præsunt, & deinceps ad Cameram libera conceditur, modo litis grauitas excedat summã 500. florenorum Rhenensium, vigore priuilegij ab Imperatore Ferdinando Principibus Holsatiæ dato.

Meridiani distant iuxta rationem 54:30. parallelorum ad circulum maximum.

DANIAE

IIII. TABVLA.

Fioniam cum circumiacentibus Insulis continens.

FIONIA tam formæ quam situs amœnitate conspicua vernacula lingua pulchrum sonat. Multis enim naturæ dotibus & cerealibus bonis secunda, rerumque necessariarum vbertate prompta est. Eius metropolis est Ottonia 31:52.56:24. vbi Fionensis Episcopus sedem suam habet. Estque in hac vrbe Ottonia totius insulæ emporium non vulgare, in quo circa festum Epiphaniæ Insulanorum & præcipuè nobilium frequens conuentus, sicut Kilonij in Holsatia 31: 47. 54: 57. celebrari solet. Ibi duo sunt templa insignia, vnum sancto Canuto, alterum diuo Francisco consecratum. In hoc Iohannes Rex anno Christi 1513. & Filius eius Christiernus, cum in exilio & captiuitate annos 37. consumpsissent. anno 1559. sepulti sunt: circa illud forum est valde amplum & spaciosum in quo Rex Daniæ cum Ducibus Holsatiæ & Slesuici antiquum fœdus anno 1580. renouauit. Discreta est autem Fionia in Præfecturas viginti quatuor, Ciuitates sexdecim, & arces Regias sex. Sub ea continentur insulæ nonaginta ad meridiem sitæ, pleræque habitabiles, quarum illustriores contra Vandalicas ciuitates obiectæ hæ sunt.

LANGLANDIA ibi Ciuitas Rudkeping 32:47.55:53. LAVVLANDIA 33:30.55:20. FALSTRIA 34:1.55:2. ARRA 32:20.55:50. ALSA 31:31.55:50. TOSINGA vbi ciuitas Nyburgum, telonio nota 32:30.56:1.

Meridiani distant iuxta rationem paralleli 56:15. ad circulum maximum.

XXIII.



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 94 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

BORVSSIA
siue
PRVSSIA.

BORVSSIA (cuius à vicinia Russorum nomen fortasse extitit) hac nostra ætate in Regiam & Ducalem distinguitur. Poloniæ Rex, vtramque Vistulæ ripam, vsque ad illius ostia hoc tempore immediate possidet. Insula quoque Vistula & Nogato concluſa, & omnia ad Recentem sinum oppida & arces Elbinga, 42:42.54:11. Tolkemit. 42:56.54:21. Fravvenberga. 43:6.54:22. & Brunsberga. 54:23.43:15. vsque ad Passariæ ostium: & tota VVarmiensis Diœcesis ditio, ad meridiem ampla, & oppidis agrisque cultissima, veficæ instar, media in Ducali Borussia pendens, in Regis solius sunt potestate. Etsi autem hæc Prussia Regi immediate subiecta, eodem cum Polonis regno continetur: tamen peculiare consilium publicum, leges, iudicia (à quibus tamen ad Regem prouocatio est) ærarium & belli gerendi rationem habet. Consiliarij huius Prussiæ quatuordecim sunt. Duo Episcopi, VVarmiensis qui sedem suam habet in Braunsberg. 54:23.43:15. & Culmensis 41:50.53:0. Tres Palatini, Culmensis, Marieburgensis. 42:16.54:2. f. & Pomeranicus. Tres Castellani Culmensis, Elbingensis. 42:42.54:11. & Gedanensis, **Dantzick** vulgo 41:50.54:22. totidemq; Succamerarij, & tres primariæ ciuitates, Torunia in tab. Germaniæ 41:50.52:46. Elbinga 42:42.54:11. Dantiscum 41:50.54:22. Hi bis quotannis ad deliberationes & iudicia conueniunt, mense Maio Marieburgi **Margenburg**. f. 42:16.54:2. ad Michaëlis Grudenti 41:50.53:22. Capitanei seu præfecti arcium & reditiuum regiorum octodecim sunt: Marieburgicus, & in Palatinatu, Stumæ 42:15.53.53. Gneuæ, Meuæ 41:58.53:46. Stargardiæ 41:48.53:54. In Pomeranico, Slochouiæ supra Tucholam iuxta Bro. flu. Suczæ 41:32.53:15. Tucholæ 40:30. 53:33. Dersaniæ & Pusci in Culmensi, Brodnicæ. Grudenti 41:50. 53:22. Radinæ, Reden forte 42:2.53:16. nisi sit G. Raden 42:48.53.21. Golbæ in tab. Germ. 42:10. 52:46. Rogosnæ, **Rogenhausen**. f. 42:4.53:22. & alij tres.

Ducalis autem Borussiæ olim fratrum Crucigerorum Teutonici ordinis propria, sub Alberto Brandeburgico Ordinis Magistro in hæreditarium Ducatum conuersa, & ab Imperio Germanico auulsa, in Poloniæ Regis fidem & clientelam anno 1525. concessit. Ejus Princeps primum ac proximum Regi locum, in Consilijs, Comitijs & alijs conuentibus apud Regem Poloniæ tenet. Si lites inter Regem & Ducem exoriantur, à Consiliarijs Regis iuramento nouo ad iuste iudicandum obligatis, Marieburgi aut Elbingæ dirimuntur. Nobiles autem seu alij contra Ducem actionem habentes, coram Ducis vasallis à Duce ad iudicium deputatis, eam instituunt, à quibus prouocatio ad Consiliarios Regis & Ducis Marieburgi constitutos libera permittitur. Cæterum vnusquisque in iudicio vbi bona sita sunt, vel domicilium Reus habet, conueniri debet, nec ad extranea iudicia trahi aut arrecto detineri potest. Iudicium aulicum quinque originarij nobiles & tres Iurisconsulti administrant. Iudices in prouincijs ita constituuntur, vt ex tribus à qualibet prouincia nominatis, Princeps vnum eligat: qui secundum ius Culmense & constitutiones prouinciæ iudicet. Si contra priuilegia, libertates, iura, aut consuetudines Princeps faciat, nec ad preces subditorum factum suum emendet; Liberum est ordinibus prouinciæ absque vlla rebellionis aut seditionis culpa ad Regiæ Maiestatis Poloniæ patrocinium confugere, & vi pactorum inter Regem & Ducē initorum, defensionem suorum priuilegiorum ab eo postulare.

Sunt etiā in Ducatu Borussiæ duo Episcopi, Sambiensis qui Regiomonte, vulgo **Konigsperg** 44:5.54:42. & Pomesanienſis qui in Marienverder 42:4.53:40. sedet: quibus iurisdictio Ecclesiastica integra & non impedita in Academiam, Consistorium, Ecclesias, Pastores, Scholas & omnes causas Ecclesiasticas & matrimoniales, etiam facultas singulis annis visitandi & synodos particulares ad consensum in doctrina, in ritibus & in disciplina retinendum, permittitur. Delicta eorum Episcoporum Politica, per Ducem: Ecclesiastica vero, si in doctrina vel ritibus deliquerunt, per generalem Synodum cognoscuntur & puniuntur. Huius Ducalis Borussiæ prouinciæ sunt *Natangia, Sambia,* Regiomonte vrbe magna ornata 44:5.54:42. aulæ Ducalis sede, Academiaque & emporio celeberrimo insignis, *Nadrauia, Sclauonia, Sudouia, Galindia Bartonia, Pogesania, Pomesania* amplissima prouincia, & *Sossauia.*

Meridiani distant ratione paralleli 54.
ad circulum maximum.

XXIV

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 96 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

LIVONIA
siue Liefland.

Liuonia, siue Lieflandia ante annos 400. opera Mercatorum Bremensium & præcipuè militum Teutonici ordinis ad fidem Christi adducta, cum multa periculosa cum externa tum intestina bella & bellorum calamitates pertulisset, & vicinis suis Regibus & dynastis quodammodo prædæ esset: tandem anno 1559. sub Gothardo Ketlero ordinis Teuthonici vltimo magistro in fidem & clientelam à Sigismundo Augusto Rege Poloniæ tanquam membrum Regni & magni Ducatus Lithuaniæ accepta est. Cum autem die quinto Martij anno 62. Magister ordinis Gotthardus in arce Rigensi coram Poloniæ Regis Commissario Nicolao Ratzeuilo palatino Vilnense ordinem suum resignasset, & primum Crucem, deinde sigillum, postea literas & diplomata omnia, quæ Ordo à Cæsaribus & Pontificibus acceperat: præterea claues arcis Rigensis & portæ Ciuitatis, officium Commendatoris, ius cudendæ monetæ, vectigal piscium & omnia alia sua & ordinis sui Iura Poloniæ Regi cessisset ac tradidisset: statim facta resignatione Gothardus à prædicto Palatino nomine Regiæ Maiestatis, Dux Curlandiæ & Semigalliæ publicè proclamatus est, eique è vestigio nobilitas Curlandica & Semigallica velut hæreditario domino iuramentum solenne præstitit. Postridie etiam Dux Curlandiæ, summus Regiæ Maiestatis locum tenens & Gubernator Liuoniæ in Curia Rigensi publicè renunciatus, & claues arcis & portæ ciuitatis recepit. Nobilitati verò & ciuibus omnia sua iura & priuilegia restituta & confirmata sunt, prout in literis apud D. Dauidem Chytræum videre licet. Diuiditur autē Liuonia in tres partes locis & linguis distinctas, videlicet in Estiam, Lettiam & Curlandiam. ESTORVM prouinciæ sunt Harria, cuius mtropolis est Reualia 49:4. 60:7. Viria in qua VVeisenburg 50:7. 60:8. Tolsberg 50:18. 60:22. Borcholm Episcopi Reualiensis sedes 50:29. 59:50. Allantakia, vbi Nerua 51:15. 60:20. & Nyschlot 51:15. 60:8. Odenpoa, in qua Derbatum 50:55. 59:2. VVernebec 51:20. 59:5. Helmede 50:14. 58:42. & Ringen 50:20. 58:52. Ieruia vbi VVittenstein 50:3. 59:35. Lais 51:0. 59:30. Querpolen 50:30. 59:26. Vellin 49:38. 59:0. VVichia, vbi Habseel 47:55. 59:52. Leal 47:54 . 9:35. Lode 48:20. 59:48. & Parnouia 48:30. 59:0. Estis adiacent insulæ Osilia, Dageden, Mona, VVormse, Vrangen & Kien, & aliæ plures, in quibus partim Estica, partim Suetuica lingua vtuntur. LETTORVM vrbes sunt Riga 47:57. 57:35. Kokenhusen 49 35. 57:7. VVenden 49:50. 58:0. VVolmar 50:35. 58:10. & tota Diœcesis Rigensis. Liui vero dicti sunt, qui tractum littoralem à Riga & ostio Dunæ versus Salin & Parnouiam flu. incoluerunt. CVRLANDIAE oppida & arces sunt, Goldingen 45:56 55. Canda 46:26. 57:9. VVinda 45:25. 57:32. Durben 45:11. 56:35. Srunda 45:45. 56:16. Grubin 45:56:28. Pilten 45:46. 57:35. Amboren 45:43. 56:8. & Hasenpot 45:24. 56:50. Semigalliæ, Mitouia 47:20. 57:2. sedes aulæ Ducum Curlandiæ, Selburg 49:55. 57:0. Bauschenburg 47:40. 56:20. Doblen 46:46. 56:48. & Dalem 47:57. 57:28. Vrbes sunt. Semigalliam verò & Curlandiam à Lettorum populis & reliqua Liuonia, fluuius Duna disterminat. Etsi autem Liuonia vti dictum est, nunc Regi Poloniæ subiecta est, attamen & Moscus & Rex Sueciæ & alij multas arces & ciuitats in ea occuparunt & adhuc tenent, quisque sibi viciniores, nempe quas Polonus se restiturum suo corpori curanit.

Meridiani distant ex ratione paralleli
58. ad circulum maximum.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 97 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 98 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

RVSSIA.

RVSSIAE seu MOSCOVIAE regiones amplissimæ sunt. Eius omnia, ciuitates, oppida, arces, pagi, syluæ, agri, lacus, flumina, vnius Principis, quem incolæ magnum czar, id est Regem seu Imperatorem vocant, imperio & nutui subsunt, & quidquid singula commodi ferunt, in vnius Principis fiscum congerunt. Duces ac Comites, qui dominum vtile in bonis feudalibus liberum possideant, & ad hæredes eadem transmittant, nulli sunt. Addicit quidem pagos & agros nonnullis, sed rusticorum operis nihilominus vtitur, & rursus cum libet adimit: adeo vt absolutum in subditos omnium rerum imperium habeat, & vicissim tanquam Deus à subditis colatur, eique obedientia omnibus in rebus, absque vlla recusatione præstetur. Gubernationis negocia & iustitiæ administrationem, per duodecim Consiliarios assidue in aula præsentes obit. In hos, præfecturæ arcium & ciuitatum in toto Mosci imperio distributæ sunt: qui literas & libellos supplices Principi inscriptos accipiunt, eiusdemq; nomine respondent. Princeps enim ipse nullas epistolas accipit, nec vllis ad subditos suos, vel alios etiam Principes fere literis, manu sua subscribit.

Episcopi ex monachis (quorum monasteria frequentissima in Mosci Imperio, omnia tamen eiusdem vestitus & ordinis, cuius D. Basilium autorem referunt) velut sanctioris vitæ hominibus, deliguntur, & sunt in vniuerso Moscorum Imperio vndecim, quos Vladiccas illi, id est, œconomos & dispensatores sua lingua nominant. Sacerdotes vero seu Presbyteros, Poppos & Archipoppos: Horum metropolita (qui à Constantinopolitano Patriarcha olim confirmabatur, nunc à solo magno Duce delectus per duos aut tres Episcopos consecratur, ac cum libet Principi remouetur) Mosquæ 63:40.55.30. residet. Quæ vrbs Magni Moscouiæ Ducis Regia est. Huic metropolitæ subiecti duo sunt Archiepiscopi, alter Nouogardiæ magnæ ad Lovvtam fl. 57:0.60:18. alter Rostouij 66:47.57:20. Reliquorum octo Episcoporum sedes sunt Smolenka 57:20.55:26. in finibus Lituaniæ, Casanum ad Volgam 80:48.56:20. Tvveria Volgæ adiacet 63:0.56:57. Rezan 68:0.54:40. Susdalia 68:20.57:0. VVologda 68:0.59:57. Columna 66:17.54:47. Cortiza 66:40.54:57. ad Mosquam. Hi, diœceses suas raro aut nunquam ipsi inuisunt, ne quam conspirationis cum subditis suspicionem Principi præbeant, sed in monasterijs ἡγουμένους seu præpositos, & in oppidis quibusdam lauos, vitam sacerdotum obseruantes, habent. In scholis, legere duntaxat & scribere pueri docentur. Nec academiæ vel collegia in toto Mosci imperio vlla existunt: tum vt hæreseon, quas eruditione præstantes fere excogitant & tuentur, occasiones præcidantur: tum ne Principe ipso sapientior & doctior quispiam videatur. Quem solum omnia, præsertim ad omnium gentium religiones pertinentia, scire; & omnes nodos & difficultates vno verbo posse expedire, subditis persuasum est.

Hæc D. Chytræus.

Medius meridianus. 70. reliqui ad hunc iuxtà rationem 50. & 60. inclinantur.

XXVI

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 99 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 100 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

LITHVANIA
DVCATVS:
Samogitia, Russia, & Volhinia.

LIthuaniæ magnus Ducatus, in decem Palatinatus seu prouincias præcipuas est diuisus, quarum metropolis,& caput hoc tempore Vilna 49: 50. 55:10. est: quæ ad Viliæ & Vilnæ confluentem anno 1305.à Gedemino Duce condita, nunc est sedes Palatini inter Lithuanos primi,& Episcopi Romanæ obedientiæ Leopolienſi Archiepiscopo subditi,& Metropolitani Russiæ: qui septem sub se Episcopos græci ritus habet Polotiæ 54: 0. 56:28. Volodomiriæ 47:53. 50:40. Lucæ in Volhinia Luczko, Pinscæ ad Priperium flu. 50:11. 51:51. Kyouiæ 56:30. 51:7. Præmisliæ 45:30. 49:30. & Leopoli 46:33. 49:13. Secundus Palatinatus est Trocensis, cuius oppida sunt Grodna ad Cronium flu. 48:40. 54:0. vbi Stephanus Rex Poloniæ obijt. Launa ad Croni & Viliæ confluentem Kovvno 47:50. 55: 0. Lida & Vpita. Tertius Palatinatus est Minscensis ibi Minsco ciuitas & arx 53: 0. 54: 48. Keidanou 52:0. 54:20. Radaskou . Borissou 54:20. 54:35. Lohoisko 53:13. 53' 24. f. Svvislocz 54'20. 53'20. Bodroisko 55' 13. 52'40. f. & Odruczko 55'45. 54'20. Quartus Palatinatus est Nouogrodensis, in quo Nouogrodeck ciuitas ampla & lignea 51'40. 53. 40. Slonim 50'30. 53'30. VVolkouisko 49:20. 53'15. & alia oppida complura. Quintus Palatinatus est Brestiensis à Brestia ciuitate ampla & lignea 47:50. 52:10. f. sic denominatus est,& in hoc ciuitas Pinsko 50:10. 51: 50. Sextus Palatinatus est Volhiniæ in qua Lucæ Episcopi sedes 48:33. 50'20. Volodomiria 47'53. 50'40. Cremenecia 49'0. 50'0. Septimus Palatinatus est Kyouiæ 56'27. 51'5. quæ vrbs quondã amplissima & vetustissima, vt ruinæ; quæ ad sex miliaria se extendunt, facile indicant, fuit & ad Boristenem sita. Ibi & Carcas 59'3. 51'2. Kaniou 57'47'50'40. & Moser 53'0. 52'0. f. oppida. Octauus Palatinatus est Miecislauiensis ad Sosam & Boristenem in finibus Moscouiæ, ibi Miecislauia 57'38. 53'40. Dambrouna 56'40. 54'26. Kopycz 56'45. 53'47. Sklou comitatus 56'23. 53'35. Mohilou 56'48. 53'23. Bychou 56'40. 53'0, Reczycza. Strisin oppida cum arcibus sita sunt. Nonus Palatinatus est Vitebsiensis, in quo Vitebsk ciuitas 55'36. 56'40. ad Dunam fluuium sita, & Orsha ad Boristenem 56'10. 54'17. Decimus Palatinatus est Polocensis, qui à Poloczko 53'50. 56'30. ad Polotæ, & Dunæ confluentem inter Vitebsam & Liuoniam interiecta nomen sortitur. Ibi Disna 53'25. 56'26. Drissa 53'0. 56'34. & Druha 52'38. 56'35. oppida cum arcibus visuntur. Harum prouinciarum Palatinos & Castellanos Sigismundus Augustus Poloniæ Rex in comitijs Lublinensibus in vnum Reipublicæ corpus, cum Polonis vniuit, & certũ singulis Proceribus, Episcopis, Palatinis,& Castellanis Lithuanis locum ac ordinẽ in Senatu regni attribuit, ita vt ex vniuerso Regno Poloniæ omnibusque prouincijs illi coniunctis, sunt in Senatu Episcopi quindecim, Palatini triginta vnus, Castellani maiores triginta, minores quinquaginta,& qui officiales Regni nominantur, Marscalci regni & curiæ Cancellarij ac vice Cancellarij ac Thesaurarij duo: de quibus in Polonia latius dictum est.

Medius meridianus 53. reliqui ad hunc inclinantur ratione 52.& 56. parallelorum.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 101 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 102 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



TRANSSYLVANIA

Siebenburgen.

TRanſſyluania, que & ſeptem caſtrenſis quondam Dacia à Romanis nuncupata, in tres diuiditur nationes ſuis inter ſe moribus & legibus diſſidentes & diſtinctis terrarum locis prouinciam incolentes, videlicet in Saxones, Ciculos, & Hungaros. Transſyluani SAXONES ſicut cæteræ omnes nationes Germanicæ, habent peculiarem linguæ dialectum non multum à communi Colonienſium lingua diſſidentem. Vrbes & arces incolunt munitiſſimas, & cæteris nationibus præſtant. Sedes eorum ſunt ſeptem, nempe Zarvvarienſis 46:57: 46:36. Zabeſienſis, Millenbach 47:7. 46:46. Reuſmark, Segeſburgenſis, Scheſburg forte, Olczna, Schenkerſtul 48:21. 47:5. & Rupenſis, ſed Reps forte, quæ ſingulæ pagos aliquot ſubiectos tenent. CICVLI Moldauiæ finitimi à Scytis oriundi ſuis legibus & moribus viuunt, ſtatque officia ſorte diſtribuunt. Nemo apud illos ignobilis eſſe cenſetur, etiamſi manu aratrum tractat, aut caprino gregi præſit. Hi in ſeptem ſunt diuiſi regiones, quas ipſi ſedes vocãt, quarum nomina ſunt: Sepſi 48:40. 47:37. Orbai 49:17. 47:28. Kyſdi 48:58. 47:57. Czyk 48. 43. 47:40. Gyrgio 48:0. 47:39. MarcusZeek 46:58. 47:55. & AraniasZeek. HVNGARI & nobiles Transſyluani paſſim intermixti Saxonibus cum Siculis, propemodum tam ſermone, quã veſtitu & armis conueninnt. Omnes ſimul Transſyluani ad nonaginta & amplius armatorum milia ſuppeditant. Sunt autem in Transſyluania ſeprem vrbes celebriores locorum interuallis diſtantes inter quas Cibinium eſt metropolis & Harmanſtat dicitur, & parochiam Cathedralem habet 47:48. 46:52. Braſſouia ſiue Corona Cronſtat vbi Academia & Bibliotheca inſignis 49:10. 47:8. Biſtritia Noeſenſtat 46:39. 47:48. Segeſvvaria Scheſpurg 47:54. 47:27. Megies Mydvviſch 47:34. 47:16. Zabeſus ſiue Zaaz ſedes Millenbach 47:7. 46:46. & Coloſvvaria Clauſenburg 46:28. 47:15. Eſt & ibi Alba Iulia ſedes Epiſcopalis, quæ quondam Tarmis dicta 47:0. 46:50. Regis Decebali Regia tempore Traiani fuit. Olim Transſyluania vt membrum Regni ab Hungaro præfectum, quem VVayvvodam incolæ appellant, accipiebat: nunc autem Turcarum Imperatori tributaria facta, ab eodẽ ſuum VVayvvodam vel Beglerbegum poſtulat: ſuis tamen legibus & moribus viuit, auri, argenti, ferri, ſalis, vini ferax. Numerantur autem in Transſyluania quoad penſiones taxarum octo parochialia Capitula præcipua, quæ ſimul vniuerſitatem appellant, Biſtricienſe capitulum habet Biſtriciam cum 23. pagis regijs. Regnenſe capitulum Regen forte 47:16. 47:44. habet pagos plus quam triginta. Barcenſe capitulum, Barzazag 48:46. 47:8. habet Coronam ciuitatem cum tredecim pagis regijs. Kiſdenſe capitulum habet Segeſburgam & pagos quadrigintaocto. Duarum ſedium Capitulum complectitur ciuitatem Megienſem cum triginta ſex pagis. Cibinienſium capitula duo, quorum vnum habet Cibinium & pagos viginti tres, alterum Capitulum Gibinienſe, quod vocant Surrogatiua, continet pagos circiter vigintiduos. Zabeſienſe capitulum habet Zabeſium cum pagis ſeptendecim.

Meridiani diſtant ratione 47. paralleli
ad circulum maximum.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 103 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 104 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

TAVRICA
CHERSONESVS.

TAurica Cherſoneſus, quam Præcop & Tartariam minorem hodie appellant, ampla peninſula, Inter Pontum Euxinum & Mæotim vſque ad Boſphorum Cimmerium, qui Europam ab Aſia diſcernit, porrigitur. Eam mediam horridi & ardui montes velut Apenninus Italiam in boream & auſtralem dirimunt. Auſtralem, cuius metropolis eſt Capha 63: 38. 47: 15. olim dicta Theodoſia, emporio celebris Mahometes anno 1475. occupauit, & ſibi tributariam fecit. In boreali vero parte Tartari, Crimęi vulgo appellati latiſſimos inter Boriſthenem & Tanaim campos, paſcuis ſubinde mutatis peruagantes, ſedem Regiam annos iam ferè quadringentos habuerunt oppidum Crimæum 63:18. 47:38. vnde & Crimæi Tartari appellati fuerunt. Hi poſtea perfoſſo Tauricæ ad inſulæ formam iſtmo, circa foſſam eam quam Præcop appellant, ciuitatem eiuſdem nominis & Regiam ſedem 62:12. 48:12. cum condidiſſent, Præcopenſes Tartari inde dicti ſunt. Horum Rex Turcis confœderatus & ſocius, cum proprios fratres (inſtigantibus Turcis) à quibus bello petebatur, ſubmouiſſet, & Capham obſidione premeret, à ſuis conſiliarijs ad hoc amplis muneribus corruptis, cum duobus filiolis in fruſtra conciſus, Ottomannicæ amicitiæ infœlix exemplum præbuit. Eo enim occiſo Tartari, qui hactenus liberi & indomiti, ex ſocijs & fratribus Ottomannorum facti ſunt ſerui & ad ſimilitudinem aliarum Turciarum prouinciarum non Regem, ſed Beglerbegum, id eſt, Vice Regem accipere coacti ſunt. Quale autem ſit Turcicum imperium, ne actum quod dicitur agamus, ex VValachiæ & Græciæ inſcriptionibus facile poteſt cognoſci, eo Lectorem breuitatis cauſa remittimus. Præter Caſan autem & Aſtrachan regna Tartarorum, qui agros colunt domosque inhabitant & nunc Moſco ſubijciuntur, præterque dictos Præcopenſes, ſunt & alij Tartari campeſtres, qui cateruatim in campis nullis finibus obſeruatis degunt & in hordas veluti in quaſdam prouincias, à quibus & cognominantur, diuiſi ſunt, de his ſuo loco, Aſiaticis videlicet tabulis, dicemus.

Medius meridianus 63. reliqui ad hunc inclinantur ratione 48. & 52. parallelorum.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 105 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 106 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 107 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

STVDIOSO ET BENEVOLO LECTORI.

QVANDOQVIDEM nobis solis nati non sumus, sed quantum quisq; potest ad commune bonum, tantum à beneficentissimo generis humani conditore & parente ab illo exigitur, iustũ existimaui opus hoc geographicum, cuius hic partem damus, ad Reip. vtilitatem quàm possum maximè accommodare. Est autem geographiæ in legendis historijs ijsq; retinendis facilior notiorq; vsus & vtilitas, quàm vt meo documento aut commonefactione sit opus, sed alia est eius & multo præclarior dignitas, si rectè quo valet dirigatur, nimirum ad politici regiminis cognitionem plurimũ conferet, si locorum non situs tantũ, sed & natura siue legitima conditio describatur, quod alioqui etiam geographi officium postulat. Nam vt suæ professioni non satisfacit pictor, qui hominem aliquem iuxta membrorum proportionem delineat, verùm neglectis coloribus & Physionomicis signis eius naturam & affectus non prosequitur, ita veluti mortuum eadauer geographicum figurabit, qui locis tantùm iuxta suam symmetriam positis, nullam eorum ad inuicem rationem politicam assignauerit. Quapropter hoc summopere curãdum duxi, vt quæ in singulis regionibus est dominiorum locis appendentium natura & ordo, eam conuenienti distributione ipsis tabulis præfigam, quo politicæ distributionis & rerum publicarum studiosis aliquid nostra conferre possint. Quòd si in multis sit imperfecta & deficiens, aut etiam alicubi erronea conscriptio nostra, non mireris lector: non enim Rerump. formæ per singulas ditiones scriptæ extant, neq; mihi eas passim peruestigare est integrum, sed quatenus ex historiarum inspectione deprehendere potui, saltem formam aliquam & rudimentum politici status collegi, vnde rei propositę rationem & ordinem intelligas, ac quod in tua regione deerit supplere possis, & castigare, quod si facere non grauaberis, ac mihi communicare placuerit, tuo id nomini atq; honori in castigato tabulæ frontispicio acceptum referam. Idem si quisq; in sua patria præstiterit, nemo credat quantum emolumenti studiosis omnibus ex geographia sit accessurum.

Itaque cùm tria præcipuè sint in administratione regnorum, principatuum, & prouinciarum consideranda capita, videlicet, Status Ecclesiasticus, politicus & iustitiæ iurisque administratio, primum sub regionis in tabula descriptæ titulo, quot in ea regione sint status politici membra recensebo iuxta eorum dignitatis ordinem ibi obseruatum. Deinde in nobilium locorum distinctione (quando penes nobilitatem præcipuum est regimen) eos locos primum enumerabo qui principi sunt feudales, deinde & liberos, idque ordine à summo nobilitatis gradu descendendo veluti Ducatus, Comitatus, Baronias, Dominia. Tertiò in quas Præfecturas regio sit diuisa. Atque his tribus Politicum statum sufficienter declaratum iri existimo. In iustitiæ administratione notandæ erunt dioeceses iuridicæ, superioresque Senatus ad quos fit appellatio. Denique in Ecclesiastico statu primum Archiepiscopi, si qui sunt, tum eorum suffraganei Episcopi, & qui præterea alijs suffragantur ordine ponendi erunt. Hæc omnia enumerare studium quidem est, verùm cùm deficiente materia in paucis id detur, præstabo, quod potero, vt saltem patriæ cultores ad meliora perfectioraq; prouocem. Singula autem loca numeris designabuntur, vt in subsequenti tabula continuo inueniri possint, prior numerus gradus & minuta longitudinis continebit, qui in latere boreo aut meridiano, tabulæ quærentur, posterior latitudinis numeros habebit, in occiduo aut orientali latere quærendos. Abhorum terminis, hinc meridiani, inde paralleli latitudinis ductu ad communem eorum sectionem & locum propositum peruenies. Quæ verò in generalium tabularum indicibus sunt, eorum situm inde petere oportet. Quod si quæ nomina in subiecta tabula non reperiantur, id chorographi qui eam prior delineauit factum est vitio, propter quod principatuum & dominiorum designatio omittenda non erat.

Quoniam autem penes nobilitatem est regionum dominium & regimen, vtile & iucundum est eius gradus ordine, & proprias cuiusq; cõditiones internoscere. Summus eius gradus est Imperatorius aut Regius, quem ordine subsequuntur Dux, Comes, Baro, Tribunus militaris, quem Banderheer vocant Belgæ, quasi Bendæ hoc est Turmæ, quã sub suo baniere, hoc est signo equestri ductat, dominum. Post hunc est Eques auratus, siue equestris ordinis dignitatem adeptus, quem Galli Cheualier, Belgæ Ridder vocant. Postremo loco est vn Escuyer, id est nobilis scutatus, qui insignia quidem nobilitatis gestat, verùm ordinis dignitatem publicam necdum assecutus. Iam Comitum tres sunt gradus, qui in primo est à Gallis Viconte dicitur, hoc est, vt opinor, Procomes, aut Princeps Comes, qui cæteris apud ducem suũ dignitate & priuilegijs præstat, quem Ludouicus Guicciardinus Burgrauium hodie dici vult. Et fieri potest hunc Comitum ordinem eo diminutionis dilapsum esse, sed principio excellentior fuit eius dignitas, vt mox eius descriptio indicabit. In secundo gradu est Prouincialis Comes, Landgraue Belgicè. In tertio Marchio, Marcgraue. Hi sunt præcipui nobilitatis gradus atq; ordo, iuxta quem regionis cuiusq; dominũ distribuitur. Sunt & aliæ quædam in his gradibus subdiuisionis differentiæ, sed quæ priuilegijs magis quàm regiminis forma distinguuntur. Eius porrò ordinis quem recitaui legitimas differentias & conditiones, quemadmodum in Gallico quodã libello, inscripto: La diuision du monde: inueni tradam, ab ima nobilitate aliorum graduum creationem deducens, vnde illorum proprietates & regiminis ordo elegantissimè eluceſcunt.

Eques auratus, inquit ille, siue Cheualier ex Scutato nobili, ex Escuyer, sic creabitur. Si diu hic bella secutus arma exercuerit, pluribus conflictibus interfuerit, atq; vnde ordinis statum honestè sustinere possit habeat, sitque ex magna insigni ac diuite familia, tum in aliquo conflictu duci exercitus aut strenuo & generoso equiti petitionem suam significabit, & finito conflictu ipse ducem aut equitem dictum accedet, præsensque in nomine Dei ac S. Georgij orabit, vt sibi ordinis insignia donet. Quo ille audito gladium suum educet, terq; supplicantem feriet, dicendo: Ego te facio Equitem (Cheualier) in nomine Dei & S. Georgij

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 108 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ad fideliter conseruãdam fidem, iustitiam, Ecclesiam, viduas & pupillos. Quod si verò supplex, etiamsi strenuus, sit tamen pauper, admittendus non erit, nisi tot illi reditus annui assignentur ac donentur, quot ad ordinis honorem & dignitatẽ conseruandam opus est habere. Atq; hic primus est ab imo nobilitatis gradus.

Tribunus militaris, ein Banderheer, ex Equite aurato fier, si diu secutus bella satis terrarum ac redituum possideat, ad tenendum & stipendijs alendum 50. nobiles, hoc est vnam bẽdam, quæ ipsius signum equestre in militia sequatur. Nemo enim signum siue vexillum erigere potest, nisi qui turmam hoc est bendam 50. vt minimum nobilium stipendiariorum suo sumptu adducere potest.

Baro ex Equite aurato, aut etiam Scutato nobili creari potest, quando ille in suo dominio quatuor Castellanias habentes iurisdictionem altam, mediam, & bassam (vt vocant) possidet, tum enim Rex illi conferre potest vexillum Baronatus. Cæterùm hoc illi conferri non potest, nisi rebus in bello fortiter gestis. Itaq; ex primo conflictu equestris fit ordinis, ex secundo Tribunus militaris, ex tertio Baro.

Comes ascendendo sequitur, & quidem primùm limitaneus, quem Marchionem hoc est Marcgraue vocamus. Is autem talis creari potest, qui duas aut tres Baronias in vno Ducatu conclusas possidet. Creari autem potest à suo duce, in cuius ditione eas possidet.

Comes prouincialis deinde, id est Landgraue, fieri potest, qui quatuor Baronias vni ducatui inclusas habet, quem Dux in Comitem creat, aut etiam Rex per Ducis instantiam aut permissionem.

Viconte, Princeps, Comes, fieri potest qui tenet quinq; Comitatus aut plures in vno Ducatu comprehensos, aut iunctim sitos. Et potest à Duce in magna solennitate permissu Regis creari. Quòd si Rex ipse presens adsit, honorabilior fit Principatus.

Dux ex Comite qui futurus est, imprimis in Regno, in quo coronandus est, possiedat quatuor Comitatus Principales, & in quolibet horum habeat alios quatuor Comitatus, siue Baronias illis quatuor Comitibus fide & clientela obstrictos, sic ius Ducalis dignitatis consequendæ liberum habebit. Coronandus est autem à Rege vel Imperatore cui subiectus est, galero margaritis & gemmis pretiosissimis exornato, in florentissima suarum ditionum vrbe, idq; in magno conuentu Principum virorum, Ducum, Comitum, ac Baronum, solenni etiam festo celebrato, quemadmodum in coronatione Regum consuetum est.

Qui Rex futurus est, necesse est, vt quatuor Ducatus inter se cohærentes & continuos sibi subiectos habeat, & in quolibet Ducatu ciuitates quatuor, in quas solus ipse dominium habeat. In qualibet etiam harum ciuitatum Archiepiscopum vnum, sub vnoquoq; turfus horum decem Prouincias Episcopales. His dotatus exornatusq; dominijs & dignitatibus Imperatoriam Maiestatem tãquam suum superiorem adibit, aut ad se vt veniat honorifica legatione inuitabit, & efficiẽt quo ab illo coronetur.

Recentior autem hæc eligendi Regis cæremonarumq; Principum lex esse videtur, quamdiu enim vagæ nationes, Goti, Vandali, Longobardi, aliæq; plures suos secum Reges adducebant, non ex ampla terrarum possessione regiam dignitatem metiebantur, sed ex viribus populiq; adducti multitudine. Nec Ducum etiã qui primùm à Longino Exarcho Rauennatense anno Domini 569. & mox à Longobardis institui cœperũt, alius fuit delectus, quàm pro fortitudine, & rerum gerendarum prudentia. Adde quòd Paulus Aemilius testatur: Duces Comitesq; principio ab Regibus ea lege gentibus ciuitatibusq; præfectos fuisse, vt quoties ex vsu esset dimitterentur aut mutarentur. Neq; verò dictæ creandorum Principum leges, cùm hæreditarias terrarum possessiones emerentur & postulent, condi potuerunt, quamdiu temperatio tantum beneficio Ducatus Comitatusq; à Regibus & Imperatoribus conferebantur. Quapropter licet præcisè eius instituti tempus indicari nequeat (nullam enim eius notam adfert Gallicus ille libellus) tamen sub Ottone II. Imperatore, aut circa annum Domini millesimum, vel paulò post eam constituendarum confirmandarumque dignitatum rationem à Monarchis ordinatam fuisse omninò est verisimile. Enimuero vsq; ad Ottonem secundum pro sua quisq; Princeps potentia & ambitione, ad maiorem dignitatem, regiamq; Maiestatem aspirabat. Sic ex vno Lotharingiæ regno, quod à Rheno ad Schaldim vsque extensum, mari Frisico terminabatur, & vnius Lotharij Ludouici Pij filij erat, post plura sunt nata, videlicet transiuranæ Burgundiæ, quod à Iura monte ad Alpes vsq; extensum totam Heluetiam, Rauracos, Allobroges, & Burgundos transiuranos complectebatur: & Prouinciæ regnum quod simul partem aliquam Burgundiæ ac Sabaudiæ comprehendebat, & postea appellatum est Arelatense, cuius etiam hodie Treuirensis Elector Archicancellarius appellatur, Regnum item Lotharingiæ, quod Lotharingiam nunc dictam, & deinceps reliqua inter Rhenum & Schaldim vsq; ad mare Frisicum continebat, & olim Austrasiæ regnum vocabatur. Rursus hoc ipsum Lotharingiæ regnum Carolus Caluus & eius frater Ludouicus inter se partiti sunt, vtrobiq; Regis titulo seruato. Omitto alia eodem sæculo pro imperandi libidine orta regna. At verò Otto II. Imperator Lotharingiã ablato regni nomine in nouos Ducatus, Comitatusq; distinxit, veluti membris è corpore diuulsis & distinctis, vt habet Cuspinianus, factaq; diuisione anno 981. primum eius quæ nunc est Lotharingiæ Ducem constituit Carolum Lotharij Regis Franciæ fratrem, vt latius tractat Richardus Vassenburgius. Ab eo tempore videtur arbitraria illa regnorum & Principatuum erectio defecisse, Monarchis nunc omnia ad stabile imperium componere cogitantibus, quod in iusta partium Imperij, quemadmodum in homine membrorum ad caput proportione & harmonia maximè situm est, vt ergo in Principatibus & rerũ administratione ordo aliquis perpetuo seruaretur, tandem eo ferè quo dixi tempore has leges dictas excogitatas fuisse arbitror.

Habes lector totius nobilitatis distinctos gradus, & dignitatum differentias, iam obseruà in vnoquoque regno, quo modo prouincię pro illorum ratione sint diuisæ, quomodo regimẽ & vniuersitatis gubernatio, & qua portione in hos gradus sint distributa, quod cuique sit proprium officium, quæ cuiusque ad alterum & præcipuè ad caput sit habitudo & necessitas, videbis insignem harmoniam ad pacem & tranquillitatem, ad robur & potentiam, ad diuitias & fastum, ad virtutem & sapientiam, ad regni maiestatem, ad limitum extensionem, ad instabilitatem, ad declinationem & interitum, aut quocunq; alio tendentem, vt sint administrationum rationes variæ. Quæ minus rectè succedere videris, aut iudicaueris, vnde id procedat contemplare, quæ ita bona & successu fœlicia inuenis causam illorum disquire, sic optimam politiam in regnorũ administratione speculaber , & vtilissimè geographica tractaueris. Quo autem meliore methodo in hanc specu-

speculationem ingrediaris, hic subiungam tanquam fundamentum vniuersi huius negotij: De politico statu regni Galliæ compendium, quod meo rogatu vir nobilitate & eruditione clarissimus D. Dominicus à Burmania in ornamentum huius operis, & studiosorum gratiam scripsit & communicauit, cuius exemplũ in alijs quoq; regnis & rebus publicis viros doctos sequi maximè optandum esset, quo omnes administrationum Reip. varietates in contemplationem duci possint.

DE POLITICO STATV REGNI GALLIÆ.

GALLI omnium scriptorum iudicio populi sagacissimi ac bellicosissimi optimum sibi politiæ statum constituere conantes Monarchiam Regalem elegerunt. Natura enim ita comparatum videbant, vt vnum aliquem excellenti dignitate plus reuereantur & metuant homines, quàm coactum aliquem numerum delectorum, qui tempore commutantur. Ratio quoque ipsa præscribit in omnibus rebus ad vnum aliquem velut ad caput atq; fontem necessariò confugiendum, & rem esse plenam incommodi atque periculi cùm plures simul imperium obtinent. Quinetiam exempla testantur monarchias, etiamsi vel interitu Principum, vel alio quoquam humano casu fuerint immutatæ, diuturniores fuisse & tranquilliores, quàm vel optimarum vel populatarum statum, vt in Assyrijs & Aegyptijs, & Parthis, imò vt propioribus exemplis vtamur, in Britãnia, Hispania, Galliaq; nostra videmus, quibus sanè prouincijs nullæ aliæ Respublicæ temporis longinquitate conferri possunt. Fit verò plerunq;, vt optimatum status, qui Aristocratia dicitur commutetur in Oligarchiam, quæ paucorum est dominatus, quando ex optimatibus & primis ciuitatis pauci quidam, velut coniuratione facta, honores & emolumenta omnia inter se partiuntur, & suas priuatim fortunas amplificare student, neglecta communi vtilitate, quam solam & in primis curare debebant. Alterum genus quod ad promiscuum vulgus pertinet, & popularis status, seu Democratia dicitur, semper habitum est tumultuosum, & periculi plenum, & viris præstantibus inimicum. Prudentissimè ergo Galli populi ab omni tempore vni magis, quem ex virtute & iustitia æstimabant cæteris præcellere, quàm vel pluribus ac præcipuis populi, vel multitudini rei summam commendandã esse censuerunt, prout & singularis aliquis, qui solus rerũ potitur, facilius aut promptius incommodis & periculis mederi potest, quàm multi simul gradu & dignitate pares. Neq; verò effrenatam in Regem suum transtulerunt potestatem, sed certis legibus & conditionibus optimè limitatam aut constrictã, ne tyrannidi vllus locus detur, vt in progressu ostendemus. Cæterùm quemadmodum nihil in humanis actionibus stabile est ac perpetuum, sed cuncta vel temporis lapsu collabascunt, vel sæculorum prauitate immutantur, sic in Gallia quoq; licet idem semper status, hoc est monarchicus Regalis fuerit, non omni tamẽ tempore eadem gubernandæ Reip. ratio fuit, quam omnem ab initio constituti Regni breuiter ac dilucidè, quantum ex variorum scriptorum lectione assequi potuimus, ordine exponemus.

Status Galliæ priusquam à Romanis in prouinciam redigeretur is fuit, vt neque vniuersa vnius imperio regeretur, neque singulæ ciuitates vel in populi vel in optimatum potestate essent, sed ita diuisa fuit, vt plerãque optimatum consilio regerentur, quæ liberæ dicebantur, cæteræ Reges haberent. Omnes quidem id institutum tenebant, vt certo anni tempore publicum gentis concilium agerent, in quo quæ ad summam Reipublicæ pertinere videbantur constituerent. Ciuitates autem 64. Tacitus libro 3. numerat, hoc est, vt ex Cæsare intelligitur, regiones quæ non modò lingua moribus & institutis, verùm etiam ijsdem magistratibus vtebantur, qualis ipse multis locis Aeduorum, Aruernorum, & Rhemorum ciuitates præcipuè commemorat.

Reges verò vel Regulos potius Galli eos tum appellabant, qui non ad tempus, vt ciuitatum Magistratus, sed in perpetuum regium imperium quantumuis exiguis finibus obtinebant, quos immutata temporũ consuetudo Duces, Comites, Marchiones nominauit.

Erant hi Reges non hæreditarij, sed à populo propter iustitiæ opinionem eligebantur, neq; habebant infinitum, solutum, & effrenatum imperium, sed certis legibus ita circumscriptum, vt non minus ipsi in populi, quàm populus in ipsorum ditione ac potestate essent, vt ferè illa regna nihil aliud nisi magistratus perpetui viderentur. Nam multos nominat Cæsar priuatos, quorum tamen parentes ac maiores Regnum obtinuerant. Optimatum ergo & delectorum authoritate, quuibs eam potestatem populus permittit tãquam freno coërcebantur, quæ optima Reipub. forma, teste Platone, Aristotele, Polybio & Cicerone fuit.

Porrò Gallia à Romanis in prouinciæ formam redacta, eodem modo reges ipsorum ex virtute & nobilitate (instar Germanorum teste Tacito) totius populi iudicio ac suffragijs electi & constituti sunt, quorum tres tantùm in hodiernum vsq; diem annis fere 1200. quibus illud regnum durauit, familiæ recensentur.

1. Merouingorum, qui orti à Merouco stirpem ad annos 283. propagarunt.
2. Carolouingiorum, qui orti à Carolo Magno sobolem in annos 337. produxerunt.
3. Capetingiorum, qui ab Hugone Capeto prognati annis ferè 590. regnum obtinent. Nam licet deferendi Regni iudicium arbitriumque penes Ordinum comitia, publicumque totius gentis Concilium semper fuerit, & etiamnum omni iure sit, filijs tamẽ & ijs, qui ex Regis demortui stirpe essent, propter nobilitatem (more Germanorum) & innatam quodammodo virtutem, prærogatiuam illam ferè reliquerunt, vt eos quasi hæreditariè alijs pari virtute præferrent, ita tamen, vt si Regis defuncti filij annis 24. minores essent, eos

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 109 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

creari ius non esset, atque adeo alium ætatis legitimæ creari necesse esset, cuius exemplum extat anno Christi 1309. in Clogio Rege. Sed & subinde hoc ipsum Regnum quod Francogalliæ dicitur, ex quo inter plures Regum demortuorũ filios, ex Procerum Regni voluntate & arbitrio diuisum fuisse, plurima extant exempla. Si verò populus filio repudiato alium eligeret (prout sæpius id factum est) relinquebãtur filio repudiato ad tuendam suam dignitatem res quæ propriæ Regis, &, vt iurisperiti loquuntur, ipsius patrimoniales fuerunt, & quas sine publico gentis concilio alienare non poterat. Cætera quæ regni & Reipub. erant, & Reip. dicuntur, ei ad quem Regnum deferebatur, attribuebantur, sicut & eæ res quæ Fisci dicuntur, quæ scilicet ad tuendam dignitatem suam partim ad vsus Reipub. repentinos attributæ sunt, vt erant Ducatus & Comitatus varij, qui etiam in populi comitijs illis assignabantur. Secundò & illud obseruatum semper fuit, vt filiæ à regni successione remouerentur (non quidem lege Salica, vt quidam malè existimant, nam ea de priuatorũ patrimonio, nec de feudis quidẽ, sed de allodijs, autore Salagasto vno ex regni proceribus, vnde Salica ab eius nomine dicta est, constituta fuit) & ijs negletis, fratribus vel patruis, aut etiam extraneis per Proceres regnum semper delatum sit. atq; hæc de regibus primo Reip. capite. Antequam autem reliqua de Regis electione, eiusq; & Reipub. consilio, ratioreq; administrationis regni progrediar, operæprecium facturũ me esse arbitror, si prius membra illa regni, quæ regem constituendi & abdicandi potestatem habere diximus, paucis describsero, quò magis dulcis illa harmonia qua regnum hoc à maioribus prudentissimè constitutum est elucescat.

Illud in primis magni est momenti. Regiam potestatem, ac reliquos omnes regni ordines adeo commodis & æquis rationibus inter se deuinctos esse, ac velut coagmentatos, vt vix vllũ possit inter ipsos magnum dissidium oriri. Sunt aũt ordines in Gallijs tres præcipui, penes quos legitimum gentis concilium, regnumq; adimendi ac constituendi facultas omnibus temporibus fuit, nobilitas scilicet, populus, vulgus. Hi singuli pro sua quisq; conditione suas habent leges ac instituta, quibus vruntur, & adeo commodè sũt inuicem aggregati, vt ægrè facultatem habeant alij alios opprimendi, aut etiam aduersus regem coniurandi. De Ecclesiasticorum ordine, qui quartus censeri potest, quanquam hodie, cùm in tantam excreuerit potentiam, primum obtineat, deinde dicturi sumus.

Nobilitas igitur Galliæ, siue equestris ordo maximis fruitur commoditatibus ac priuilegijs, eoque fit vt magno quodam affectu Regem complectantur, & vitam quoque pro ipsius ac patriæ salute profundant. Neque enim vllum pendunt tributum, & armatis licet ipsis esse quocunq; loco, & multa habent vitæ præsidia, sic vt non sit opus illiberalem aut quæstuariam aliquam artem exercere. Hoc enim nostris moribus minimè illis conceditur, nisi fortè domi mancant, ac rei familiari studeant. Sed si Regem sectari velint, habent quò se honestè alant. Plurima enim sunt domus & aulæ Regiæ ministeria, quæ solis nobilibus attribuuntur, qui singuli partem aliquam anni in ijs procurandis consumunt, & reliquum tempus vacuum habent ac liberam rebus priuatis atque domesticis administrandis. Hi omnes annuum à Rege accipiunt stipendium, & ampliora sperandi magnas habent occasiones. Principes autem viri, ac maioris dignitatis proceres, quoniam, & ipsi Regis beneficentiam experiuntur, ac partem Reip. procurant, nobilibus qui re sunt familiari minus lauta, victum & alia sæpè communicant. Deinde reges perpetuum alunt & amplissimum equitatum, exercendæ & alendæ causa nobilitatis, ac in tanto equitatus numero plurimæ sunt præfecturæ, quæ in illos distribuuntur, eaque ratio non minus pacis quàm belli tempore durat. Maiores quidem loci nobiles pro sua quisq; conditione ac virtute præficiuntur equitibus, lex reliquis autem alij sunt legati, alij sagniferi, alij sagittarij, & qui per ætatem non possunt ferre arma reliquis famulantur, & cùm nullũ intercedit bellum, licet ipsis manere domi, ciuisque stipendij partem non mediocrem patrimonia conseruare. Ad hæc nemo credat quàm multæ sint per Galliam præfecturæ, vt sic dicam, vrbanæ, quæ soli nobilitati committuntur, nam alij prouincijs, alij finibus, alij castellis & arcibus, alij vicis præficiuntur, vt interim nihil dicam de maioribus illis muneribus, quæ principibus tantùm tribui solent, cuiusmodi sunt qui ipsorum lingua dicuntur Connestabuli, Marescalli, Ammirallij, & id genus alij, sed & annuam pecuniam, velut honorarium quoddam Reges liberalitate quadam elargiri solent in multos nobiles, qui nulli sunt addicti ministerio. Hi appellantur eorum lingua Pensionarij. Satis igitur ex ijs quæ diximus apparet ordinem equestrem valde honestè & liberaliter in Gallijs haberi, & rectè quidem, nam & patriam ab hostibus defendunt, & natura ferè cæteris antecellunt, & non solùm ipsis, verùm etiam maiorum ipsorum meritis atq; virtuti illud tribuitur.

Alter ordo suas etiam habet commoditates non exiguas. ad hunc pertinent mercatores, qui eo faciunt maiorẽ quæstum, quod turò ipsis per Galliam proficisci ac negotiari licet, tum quod nobiles & mercaturã nullã exercent, & splendidè fere ac sumptuosè vestiuntur. Huic etiam ordini conueniunt ac fere tribuũtur quæsturæ & rationes nummariæ, item præturæ, & quicquid ad iurisdictionem pertinet, qua sanè in re plurimum est honoris ac emolumenti. Sunt enim in hoc regno Iuris administri, Iudices, Aduocati, causarum Procuratores, Scribæ, & id genus alij: multo plures mea quidem sententia, quàm in reliquis omnibus orbis Christiani prouincijs, quod peroportunè illis accidit, qui relicta mercatura his rebus operam nauare volũt. Et adeo quidem est fructuosus hic ordo, vt nobiles etiam inuideant, quanquam certè dignitate atq; splendore reliquis præstant. Et qui sunt alterius ordinis fere studeant ad hunc peruenire, vt postea dicturi sumus.

In tertio genere est vulgus & promiscua hominum multitudo, qui & agros colunt, & omnis generis artificia tractant. Vt autem hi vel nimia vtantur libertate, vel admodum sint diuites, vel in armis etiam exercitati, non est consultum. Nam quia conditionem seruitutis oderunt omnes, & natura sua fortunas amplificare student, facilè fit vt arma capiant, & potentiores opprimant, quod & in Gallijs & in alijs locis nõ semel accidisse constat. Vt autem eiusmodi sint ordines, ac veluti gradus in omni Republica necesse est. Quemadmodum in corpore humano videmus infirmiora & ignobiliora membra subministrare dignioribus. Neq; tamen est quod hi suum statum deplorent ac indignè ferant, quoniam & ius ipsis communicatur æquabiliter, & quam à maioribus acceperunt, ea vtuntur libertate, & multis etiam Reip. ministerijs adhibentur, & sola virtute & industria & assiduitate possunt ad secundum ordinem emergere, quod secundo non licet, vt ad

ad primum videlicet euadat, nisi regis beneficio singulari, quod ille solet ijs impartiri, qui aut iam fecerũt, aut pro Repub. vident posse aliquid facere egregiè. Et prudenter quidem istud institutum est, primùm vt ordo conseruetur equestris, qui propter belli exercitium fere minuitur, & sumptus vix tolerat. Deinde vt homines tantis excitati præmijs virtute contendant, & ad supremum gradum eluctentur. Hac etiam spe cõfisi qui sunt plebei & infimi ordinis aspirant ad secundum, & cùm in eo versati fuerint aliquamdiu, ad primum. Itaque fit vt minus sit inter ipsos inuidiæ ac maleuolentiæ, quando vident meritis ac virtuti patefactam esse viam ad amplissimos honores & propositum esse periculum, si malis rationibus eosdem obtinere studeant. Quod si vel conatus nimium difficilis, vel spes esset nulla ampliora consequendi, tum qui sunt mediocris & infimi gradus, magni præsertim animi, causam reperirent & occasionem excitandi motus, & sui ordinis homines contra potentiores armandi, nunc autem minimè difficilis est ratio, & videmus quàm multi ex humili sæpè loco ad summum fastigium euadant. Hanc quoq; rationem diligenter olim seruabãt Romani, nam à populari statu gradum faciebant ad ordinem equestrem, & hinc deinde ad Patritiam & Senatoriam dignitatem patebat aditus.

Est præterea ordo Ecclesiasticus nulli non communis, qui modò animum huc adijciat, & pro Galliæ consuetudine non raro accidit, vt etiam homines plebei virtute ac eruditione præstantes amplissimos in eo genere consequantur honores, Cardinalatum aliquando, vel Pontificatum etiam, quæ sanè res ad virtutem ac literarum studia homines inflammare potest.

Ex iam dictis, liquet quàm aptè & venustè inter se cohæreãt omnes regni ordines, è quibus si quis aliquid delinquat facilis est medicina, nam si nobiles iniuriam cæteris faciant coercentur ab ijs qui ius reddũt, quorum est tanta authoritas, vt quantumuis magni Principes eorum cogantur parere decretis. Quod si populus etiã atq; vulgus aliquid moliatur, vt nonnũquam accidit, non est difficile nobilitati propter potentiam & vsum armorum illos ad æquitatem & officium adducere, coq; fit vt suarum rerum finibus ac veluti cancellis sese contineant omnes, ac pacem alij cum alijs colant, quando neq; causam habent, neq; facultatem etiam aliquid conandi, & periculum in eo summum esse vident. Itaq; Regem tanti beneficij autorem complectuntur & amant omnes, ac cùm tempus incidit libentissimè imperata faciunt, & publicis necessitatibus magno studio subueniunt. Quòd si priuatim aliqui ab officio discedant, parata sunt remedia, sic vt malum non possit longius progredi. Et hæc quidem de ordinum regni statu satis.

Ex quibus equidem constat quàm concinnè hæc Monarchia iuxta iustitiam distributiuam sit temperata, atq; administrata, & Aristocraticè, hoc est optimatum imperio, & Democraticè, hoc est totius populi interuentu, quippe cùm ad omnes honores pateat aditus. Quæ quidem est illa Resp. quam tantoperè propter dulcem illam harmoniam, omniumq; Reip. generum temperationem, omnes Philosophi commendarunt, & vbi vetus illa lex aurea locum habet. *Salus populi suprema lex esto.*

Verùm vt redeamus vnde digressi sumus. Ex tribus hisce ordinibus seu statibus regni solet quotannis Calendis Maij publicum ac solenne concilium seu Parlamentum vulgò haberi, atq; adeo quoties maior aliqua res inciderit, cui Rex in aureo tribunali sedens præerat: Et huic primùm Principes regnij; Magistratus, tum inferiori loco legati ex singulis ciuitatibus subsidebant, quos vulgò deputatos appellant. Carpento aũt Rex in atrium vehebatur bubus tracto, quos auriga stimulo agebat. Vbi in atrium ac porius in Reip. sacrarium ventum erat, tum Principes regem in aureo solio collocabant, reliquiq;, vt iam diximus, suo quisq; loco atq; ordine subsidebant, coq; demum in statu atq; sacrario Regia Maiestas dicebatur.

Autoritas verò huius concilij omni tempore summa fuit, & hæc potissimum in eo agi solebant. Primùm de creando vel abdicando rege, tum de pace & bello, de legibus publicis, de summis honoribus, præfecturis & procuratoribus Reip. de assignanda patrimonij parte liberis defuncti Regis, vel dote filiabus constituenda, quam Germanico verbo Abannagium, quasi exclusoriam partem appellarunt. Deniq; de ijs rebus omnibus, quæ vulgus & nunc negotia statuum populari verbo appellat, quoniam de nulla (vt diximus) Reip. parte, nisi in statuum siue ordinum concilio agi ius esset. Item si quis Princeps atq; illustriore loco natus criminis alicuius insimularetur, in iudicium ad illud concilium vocabatur, ibiq; causam dicere cogebatur. Quin etiam si quando rex maiores sumptus facere instituisset, veluti in templis ædificandis, & monasterijs fundandis, Rex ordinum Concilium exquirebat. Postremò ne illud quidem prætermittendũ est, tantam huius concilij apud cæteras gentes autoritatem fuisse, vt etiam Principes exteri, si quid controuersiæ haberent, id interdum huius concilij arbitrio ac iudicio permitterent.

Atq; hoc concilium historici alias curiam, vt conuentum, alias Parlamentum, alias Placitum appellare solent, quòd re in multorum consilio quæsita & deliberata, tãdem inter ipsos placuisset & conuenisset. Vnde & placita Philosophorum apud Ciceronem & alios dicta sunt. Atq; hinc etiã promanasse videtur illud hodiernum in mandatis ac literis Regis: *Quoniam ita placitum est*, quod malè nuncà scribis Gallicis traductũ est: *Car tel est nostre plaisir*.

Eligi etiam solebant in eodem hoc ordinum conuentu seu concilio Præfecti Reip. qui Merouingijs temporibus, Maiores domus, hoc est magistri Palatij dicebantur. Horũ eadem apud reges potestas fuit, quæ quõdam apud Imperatorem Romanum erat Præfectorum Prætorio, qui etiam Aulæ Præfecti dicebantur. Qui cùm regiam potestatem desidia regum aliquandiu obsedissent, eandem facultatem nacti, eam pro sua vsu rapunt, ac occuparunt. Nam cùm omnia fere Reip. munera obirent, & si quod gerendum esset bellum exercitibus præessent, hi domi nudo atq; inani regum nomine contenti propter desidiam in otio viuebant, vnde eo progressa res est, vt Childerico rege 18. regnum obtinente Pipinus Magister Palatij, qui regis nomine magna diuturnaq; bella gesserat, Saxones deuicerat, suamq; in potestatẽ redegerat, oblatam regij nominis occupandi facultatem non repudiarit, exercitu præsertim eoq; victore & glorioso instructus. Tanta autem præfectorum potentia initium (vt diximus) cœpit tempore Clotharij secundi, circiter annum Christi 588. id est circiter annum 130. post regnum Francogalliæ constitutum.

Porrò hic Pipinus in regnum, deposito Childerico, sublimatus est. De quo vide lector, hæc in appendice Hunibaldi apud Io. Tritemium, præter Marsil. Patauin. de Translatione imperij cap. 6. Eodem anno (inquit

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 110 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

Tritemius) Proceres totius regni conuenientes in vnum, super abrogatione regis Childerici inutilis, cœperunt habere concilium, placuit autem in commune omnibus, vt Regem Childericum nullam regnandi vel peritiam, vel potestatem habentem deponerent, & Pipinum penes quem totius Regni summa manebat authoritas, in Regem sublimarent. Sed Pipinus in hanc rem consentire noluit, nisi prius consilium Pontificis Zachariæ inquiratur, causas allegans se mouentes.

In magistri huius Palatij locum successisse videntur Comites stabuli, vulgò Connestablij. Comites vulgò dicebantur omnes, qui amplissimos quosque honores in Regia obtinebant, & Rempub. pro parte administrabant. Erat autem Comes stabuli ferè is qui apud Romanos Magister Equitum dicebatur, id est, qui equitatui præerat, cui custodes equorum suberant, qui vulgò Scarieri appellantur. Mareschalcus Germanis vocatur, hodie eandem obtinent dignitatem quam olim Præfecti Prætorio, seu vt diximus Magistri Palatij, & sub eo hodie sunt quatuor Mareschalci, id est magistri equitum, ad quos introducuntur lites rei militaris.

Post hæc erecti sunt tempore Hugonis Capeti (licet non satis inter scriptores de hac origine conueniat) quos Pares Franciæ vocant. Ille enim remoto legitimo hærede cùm Regnum occupasset, Proceres aliquot nouo aliquo honore ac beneficio sibi deuinciendos putauit, nam eiusmodi aliquid ab eo factum esse omnes consentiunt.

Horum Parium constituendorum causa duplex fuisse videtur. Primum vt Regni inaugurationi, atque vt tum loquebantur, inuestituræ præessent; hoc est vt Regem Imperij sui insignibus, atque infulis solenniter in Principum atq; optimatum conuentu exornarent. Deinde vt si quis è potentium & Principum Franciæ numero fraudis capitalis reus fieret, iudicium illud exercerent, nam cùm antiquitus iudicia illa in publico gentis Concilio exercerentur, vt dictum est, atque is mos maiorum paulatim Capeuingiorum instituto ad Iuridiciale Parlamentum traduci cœpisset, neque Principes Regni facilè illi Parlamento suas fortunas committendas putarent, Regibus illis ad suas rationes commodissimum fore visum est, præter illius Parlamenti curiam suum hunc Parium consensum instituere, quæ Parium Curia vocitata est, quorum tamen ordo ac numerus aliquandiu varius fuit, neq; enim duodecim viri semper fuerunt, vt nonnulli existimant, sed interdum plures, interdum pauciores erant, prout Regi, à quo in summi honoris ac beneficij loco Magistratus ille deferebatur, commodum videbatur, idq; varijs exemplis probari posset, sicut & Parium dignitas sæpè varijs Principibus attributa est, & ad illorum iudicia nonnulli insuper alij & Franciæ Proceribus, & Satrapis, Episcopis, adhiberi soliti sunt. Postremò in illorum numero etiam Reges ac Principes exteri fuerunt.

Porrò etsi hac Parium institutione, & quod Hugo ille Capetus ad conciliandos sibi retinendosque (vt diximus) Procerum animos, dignitates quæ temporarie erant, puta Regni Ducatus, & Comitatus, perpetuas fecit, haud parum publici (de quo diximus) concilij authoritatem, licet cum eiusdem Concilij consensu, astutè imminuerit, cætera tamen cuncta adhuc ab eodem pro more pendebant Concilio, adeò vt etiam Budeus, & Carolus Molineus tradant rei nummariæ ius, hoc est potestatis nummorum vel augendæ, vel minuendæ semper penes populum Francorum fuisse. Memorabile est illud bellum quod propter publicum bonum Proceres Regni assiduis plebis querimonijs & expostulationibus incitati aduersus Ludouicum vndecimum Regem decreuerant. Quin nec illud omittendum, sub eodem Ludouico Concilium publicum apud Turones ad Calend. Aprilis anno 1467. coactum fuisse, in quo placuit vt certi probatiq; viri, 36. scilicet Curatores Reipub. ex singulis ordinibus deligerentur, qui Rempub. constituerent & iuri ac iustitiæ prouiderent, duodeni scilicet ex clero (qui vnum ordinem iam obtinebant) totidem ex Equitibus, & totidem Iuris ac iustitiæ periti ex populo, fidemque Rex Regali dicto promissoq; dedit ratum se habiturum quicquid illi 36. viri constituerent.

Atq; hæc quidem in genere ad Capeuingiorum vsq; tempora totius Reip. gubernandæ, Regniúe administrandi ratio fuit. Eaq; recensuimus officiariorum regni munera, quibus qui præsunt vel funguntur propriè Regni seu Coronæ administratores, Officiales, vel sapientes dicuntur, quales sunt cum primis illi quos publicum Concilium constituere diximus. Item Pares Franciæ, deinde Connestablius, Ammiralius, Cancellarius, Questor generalis Franciæ, &c. Alij etiam omni tempore fuerunt consiliarij ac officiarij Regij, qui priuata ipsorum negotia curabant, Regiq; famulabantur (aut ministrabant) quales sunt Camerarij & alij ministri & officiales aulæ Regiæ.

Præter hæc publica munera instituta sunt successu temporis alia atq; alia Parlamenta iuridica, qua in re sciẽdum ad hæc ferè Capeuingiorũ tempora, & simplicem facilemq; ius reddẽdi rationem, rarasq; omninò lites fuisse, quod vel hinc licet cognoscere, quod Rex Ludouicus cognomento Diues, qui regnauit circiter annum 1230. (vt ex Ionuillio, qui eius vitam descripsit, constat) ipse vel controuersias disceptabat, vel disceptandi negotium nonnullis è suo comitatu mandabat. Quod idem de Carolo Magno proditum est, qui vel dum calciaretur, vel amicteretur, lites dirimebat. Huius lex talis in Capitulari extat. *Hoc missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni septimana vnum diem ad causas audiendas sedere volumus.* Crescente deinde prauitate temporis, litium multitudine, primum Basilica magnifica Regis Ludouici Huttini, vel vt alij volunt Philippi Pulchri Imperio circiter annum 1292. ædificata est. Tum ex mediocri iudicum numero tres decuriæ factæ Magnæ Cameræ, Inquisitionum, & postulatorum. Sed anno 1522. Rex Franciscus quartam deinde Cameram 20. nouis consiliarijs adiecit. Rursus idem Rex anno 1543. alios 20. creauit. Sed hic iudicum cõuentus non fuit perpetuus & perennis vt hodie, sed indictiuus, nec nisi certo Principis mandato exercere solitus. Ad'die idem D. Martini, id est 2. Idus Nouemb. à Rege dictum proponebatur, quo Parlamentum inchoandi Iudicibus à Rege authoritas daretur.

Verùm paulatim in tantum huius consessus, seu Parlamenti authoritas excreuit, vt nulla Regia lex, nulla cõstitutio rata esset, nisi cuius illi consiliarij autores comprobatoresq; fuissent. Deinde vt nullus tota Gallia magistratus, non modò vrbanus, verùm & militaris esset, quem non ab illo consessu inaugurari, & apud eũdem

dem in leges iurare oporteret, tum vt ab eorũ iudicijs appellandi ius non esset, sed vt eorum decreta rata & fixa essent, postremò quicquid potestatis, imperij, authoritatis, penes publicum Concilium & Statuum Parlamentum (cuius scilicet & nomen & authoritatem obtinet) fuisse diximus, id totum in Senatum illũ translatum fuerit.

At hodie quando solus Rex pro suo iudicio cum Secreto ac Priuato suo consilio quiduis decernit, prorsus in ordinarium iuridicum consilium conuersum est, non amplius circa Remp. Regniq; negotia occupatur, fixamq; suam sedem Parisijs habet.

Quod quidem latissimè patet, & amplissimam præ cæteris ordinarijs curijs seu Parlamentis (quæ septem omninò per Galliam nunc sunt) iurisdictionem habet. Cognoscunt autem singula de causis & criminalibus omnibus, & quod à singulis definitum fuerit ei standum est. Illud Parisiense præ cæteris habet, quod in id aliquãdo ipsi reges venire olim solent, quoties aliquid magni decernere vellent, quod vel bellum vel pacem concerneret. Hodie adhuc pactiones Regum, & quicquid omninò ad Regni constitutionem pertinet in eo recitetur, & scriptis publicis, quorum ipsi custodiam habent, inseratur.

Sic quæ ab omni antiquitate & primordio Regni Francogalliæ ad publicos ordinum conuentus referebantur, & post iis abolitis ad Senatum seu Parlamentum Parisiense, ea hodie ad solum Regem, & quos ille in consilium adhibere vult, transiata sunt. Verùm vt pergamus vlterius:

Est aliud in hoc Regno constitutum Consilium quod Magnum vocatur, quod ex veris Principibus ac præcipuis aulæ & Regni consistit, quod tempore Caroli septimi & octaui, non nisi circa negotia Status Regni, ac ipsius Reip. incolumitatem occupari solebat, sed & hoc ipsum adeo multitudine causarũ ac litium successu temporis obrutum fuit, vt Carolus VIII. Ordinarium ex eo consilium, 17. consiliariorum fecerit. Quos deinde Ludouicus duodecimus ad viginti adauxit, addita Cancellario Consilij Præside, adeo vt sub Francisco & ipsa Cancellarij dignitas in præsidatum erecta fuerit, atq; deinceps solum vacarent cognitioni causarum extraordinariarum à priuato consilio ijs commissarum & fere ordinarie appellationibus Præfecti hospitalis, vt vocant.

Præter ordinaria iam dicta septem iuridica Parlamenta, vt familiari vtamur vocabulo, & Magnum consilium, habet Rex priuatim adhuc Consilium, quod perpetuum & ordinarium est, Regemq; fere comitatur, & circa negotia Regni præcipuè occupari solet, quanquam & id hodie in Ordinarium quasi Consiliũ conuersum sit, quando scilicet causis ciuitatum & Parlamentorum ferè vacat, & plerumq; etiam aliorum priuatorum non ita magni momenti causis, adeo vt hi viri spectabiles & illustres alijs occupati negotiorũ publicorum & Statum Regni concernentium, cognitionem & curam propemodum omnem amiserint, totaq; Regni administratio & cura Regis arbitrio & paucorum decretorum electorum iudicio commissa esse hodie videatur, quod *Secretum Consilium* nuncupatur, in quo cunctæ fiunt deliberationes summam rerum concernentes, & super quibus deliberatum à Priuato & Finantiarum consilio fuit, si cuiusmodi modò negotia fuerint, quæ Regis peculiarem cognitionẽ requirant. In hoc cuncta beneficia, literæ, & mandata Regia signantur, aliorum Principum, Legatorum, Præsulum, & Capitaneorum literæ referantur, eorumque responsa concipiuntur, & Secretarijs Statuum committuntur.

Est ergo & aliud Consilium quod vulgò Finantiarum vocant, quod vniuersi Regij ac Regni thesauri cura agit, cui adiuncti quoq; sunt Intendentes, vt vocant, Secretarij Finantiarum, item Quæstores ærarij.

IN VSVM TABVLARVM
ADMONITIO.

QVVM ad cœlestem rationem vniuersam geographiam reducere fuerit institutũ, vt iusta locorum symmetria, qualis in sphærica terræ figura existit, etiam in plano quàm proximè seruaretur, debita graduum longitudinis ad meridiani siue latitudinis gradus proportio constituenda fuit. Cùm ergo paucos latitudinis gradus contineret proposita tabula, ad medium fere parallelum tabulæ eam proportionem redegi, sic vt quæ illius paralleli ratio est ad meridianum, ea etiam esset graduum longitudinis in eodem parallelo ad gradus meridiani siue latitudinis proportio. Actum meridiani omnes inter se paralleli existunt. Cùm verò plures erant latitudinis gradus, quia multa ibi in summo imoq; parallelis sit proportionis ad meridianum differentia, ne nimium à vero recederet, locorum symmetria, duos delegi parallelos æqualiter ferè à medio & extremis distantes, ad quorum rationes, meridianos graduum longitudinis designatores constitui, qui tum non paralleli fiunt, sed pro sumptorum parallelorum inter se distãtia maiore vel minore, plus minusue ad se mutuò & ad medium tabulæ meridianum inclinantur. Quo autem modo ea meridianorũ designatio sit inuenienda, in geographico Ptolemei opere ostendi.

Gradus porrò latitudinis ac longitudinis in lateribus tabularum designatos inuenies, & quidem pro maxima parte latitudinis in vtroq; tabulæ latere, longitudinis verò in summo atq; imo, quando videlicet vsita to geographis more septentrionem in superiore parte collocare licet. Quod si regio describenda magis inter meridiem & Boream extendatur, quàm inter Orientem & Occidentem, tum fere Occidentem sursum locauimus. Vtut fiat, Orientale Occidentaleq; latus semper tibi latitudinis, reliqua duo longitudinis gradus repræsentabũt. Suntq; singuli gradus in 60. partes, quas minuta vocant diuisi, aliquãdo in singula, cùm magnitudo id patitur, aliàs in bina, quina, aut etiam dena.

Hoc fundamento posito optimas quasq; descriptiones in delineandis regionibus sequutus sum, qua in re non parum subsidij mihi attulit insignis Chorometer & solertissimus Regis Hispan. Geographus Christianus Sgrothenius, qui multas regiones perlustrauit, & præ cæteris amplius exactiusq; descripsit. Tum eiusdem quoq; Maiestatis Geographus diligentissimus Abrahamus Ortelius, ipse candor & humanitas, qui quid

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 111 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

quid vſpiam tabularum nactus fuit, mihi communicauit liberaliter, tametſi in eodem mecum eſſet inſtituto. Qui præterea aliquid attulerunt auxilij, eos ſuis locis cõmemorabo, quo iuſtum ſui beneficij encomium apud ſtudioſos conſequantur, nec ego ingratus reperiar. Omnia autem quæ ab alijs oblata ſimulque quæ ipſe conquirere potui diligentiſſimè inter ſe contuli, quo quàm fieri poſſet emendatiſſimas deſcriptiones exhiberem. Vnum tamen interim, quod maximè in votis erat mihi defuit, nimirum Principatuum, & nobilium locorum exactior enumeratio ac deſignatio, quæ in æditis tabulis quã maximè deſiderantur. Proinde huic defectui noſtro veniam dabis lector, & ad celebrandum nobilitatis ordinem politicum ſuppetias ferre dignaberis, loca huiuſmodi ſituq; ac nomina, qualitatemque eorum indicando, tuo id nomini decus erit.

Orbiculi exigui locorum quorumlibet verum ſitum indicant, arq; hinc eorum diſtantia ſumenda eſt. Cæterùm his ſubinde ſigna adhærent quibus internoſcantur loca. Simplices pagi ſolis orbiculis, vbi ornatui locus deeſt contenti ſunt, caſtra quoties nota occurrunt extante vnco notamus hoc modo ☍, cœnobia cruce ſic, ☥ oppida turres vt minimum duas habent, pagi nobiles vnam. Hæc obſeruauimus, quatenus nobis fuerunt nota. Facilia porrò factu ſigna ad has diſtinctiones ſumpſimus, quo quilibet omiſſa facilè ſupplere queat.

Si quis lõgitudinem ac latitudinem loci alicuius explorare velit, vbi meridiani paralleli ſunt id efficiet diſtantiam eius à latere tabulæ circino ſumendo, circinumq; ſic expanſum ad aliud latus applicando. Si diſtantiam ab Orientali latere ſumpſiſti, circinus ex eodem latere in Septentrionali latere gradum & minutum longitudinis oſtendet. Sin à Boreo latere diſtantiam habes, ex eodem in Orientali latere latitudinem deſignabit. Cùm verò meridiani non fuerint paralleli eodem quidem modo loci latitudo reperietur, at in vniuerſalibus tabulis vbi paralleli ſunt circulares, diſtãtia loci à proximo parallelo ſumpta idem in latere Orientali oſtendet. Longitudo autem quærenda erit filo aut regula loco ſuperimpoſita verſaq;, donec in Boreo auſtraliq; latere idem vtrinq; eiuſdem gradus minutum deſignetur, quodcunq; tum illud erit, loci aſſumpti longitudo exiſtet.

Miliaria in diuerſis regionibus multum ſubinde differunt, ſi ergo lubeat ea ad inuicem comparare, eadem circino ad gradus meridiani refer, & quot in vno gradu comprehendantur reuoluto circino explora, videbis quot vnius, quot item alterius regionis miliaria gradum vnum emetiantur. Sic Germanica cõmunia miliaria (quæ 15. ſunt in vno gradu) quadrupla inuenies Italicis cõmunibus, & ſubdupla ferè quibuſdam Sueuicis ac VVeſtfalicis.

Nonnunquam occurret ſimplex linea orbulo annexa, ſic ♌ ♍ ♎, ea nomen ad locum pertinens indicat, ideò addita, ne in locorum preſſura, quod cuique nomen debeatur ambiguum fiat.

INDEX TABVLARVM GALLIÆ.

a. Galliæ vniuerſalis.
b. Britannia & Normandia.
c. Aquitania.
d. Francia, Picardia & Campania.
e. Bouloigne.
f. Aniou.
g. Berry.
h. Poictou.
i. Lotharingiæ pars ſeptentrionalis.
k. Lotharingiæ pars meridionalis.
l. Burgundia Ducatus.
m. Burgundia Comitatus.
n. Heluetiæ tabula generalis.
o. Zurichgouv.
p. VVilliſpurgergouv.
q. Argauv.
r. Belgij vniuerſalis.
ſ. Flandria.
t. Brabantia.
v. Hollandia.
x. Zelandia.
y. Geldria.
z. Arteſia.
&. Hannonia & Namurcum.
ſt. Lutzenburg & Trier.

Nihil in hoc opere Geographico, quod pias aures offendere queat inueni. Quocirca, vt in lucem prodeat, conſulo.

Quod atteſtor ego Iacobus Coemans ab Horſt, Sacræ Theologiæ doctor, ac Eccleſiæ cathedralis S. Bauonis Gandauenſ. Scholaſticus.

ILLVSTRISSIMO CLEMENTISS. Q; PRINCIPI, IOANNI VVILHELMO, DVCI IVLIACENSI, CLIVENSI, & MONTENSI, COM. MARCHIAE & RAVENSPVRGI, DOM. IN RAVENSTEIN, &c. IVNIORI,

DOMINO SVO CLEMENTISS.

MAGNVM & operoſum inſtituenti opus, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, id mihi contigit, quod mediocris fortunæ honeſto ciui commodam ſplendidamque habitationem ſibi paranti euenire ſolet, nimirum, quando aut impenſarum exceſſus, aut ædificij cõcepti difficultas in complures annos operam prorogat, id in primis curat, vt quibus pro ſuſtentanda familia ſtatim eſt opus, ædificet, veluti ſunt culina, penu, cubicula, ciſternæ, aut putei aquarum perennium. reliqua quæ ad hoſpitalitatem, ad vitæ iocunditatem, ad decus & magnificentiam ſpectãt, vt ſunt porticus, exedræ, aulæ, cœnacula, triſtega, delitiarum horti, & pomeria, ſucceſſu temporis pro rerum oportunitate & commoditate, iuxta ichnographiæ totius operis primum delineatæ normam aſtruit. Ita & ego cùm totius orbis deſcriptionem meditarer, exigebat quidem operis diſtributio & ordo, vt primum de mundi fabrica, diſpoſitione eque partium in vniuerſum, deinde, de cœleſtium corporum ordine & motu, tertiò de eorundem natura, radiatione, & operantium confluxu, ad veriorem aſtrologiam inquirendam, quartò de elementis, quintò de regnorum & totius terræ deſcriptione, ſextò de Principum à condito mundo genealogijs, ad emigrationes gentium, & primas terrarum habitationes, rerumque inuentarum tempora & antiquitates indagandas, tractarem. hic enim rerum naturalis eſt ordo, qui cauſas & origines rerum facilè commonſtrat, & ad veram ſcientiam ſapientiamque optimus dux eſt. Verùm quia in meos ſolius humeros hæc fabrica incumbit, nec aliorum opera (exceptis, qui tabulas in æs incidunt) ad hanc perficiendam vti poſſum, quemadmodum qui ædificat cementariorum, fabrorum, aliorum manibus abſoluit omnia, præterea nec ſculptorum tanta ſuppetit copia, vt paucis annis inſtitutum opus perfici queat, neceſſitate adactus ſu[i], ex medio operis ædendi initium facere, neque porrò iuſtum erat, etiamſi vſque ad conſummationem totius ſupprimere potuiſſem omnia, ſtudioſos eius partis, quam nunc abſoluiſſem, vſu priuare. Quamobrem eas nouæ Geographiæ quam nunc paro, tabulas, quibus hac tempeſtate Reipub. me maximè ſeruiturum exiſtimaui, nimirum Galliæ & Germaniæ, primùm parandas euulgandasque iudicaui, in quibus etiam diligentem nauaui operam, vt ad rationem, & iuſtam ſymmetriam redigerem omnia, quantum ex obſeruationibus cœleſtibus, itinerarijs, impreſſis, ſcriptisque tabulis fieri potuit, vnde & loca omnia, quæ iuxta extremos cuiuſque tabulæ limbos vicinis tabulis repetuntur, eodem vtrobique ſe modo habent in longitudine, latitudine, & diſtantijs, vt ex vna tabula in aliam tranſitus & itinera non minus agnoſci &

noſci & perſpici poſsint, quàm ſi vna vtriuſque deſcriptionis eſſet continua tabula. Hoc tantùm eſt differentiæ, quod frequenter non ad eandem graduum cœleſtium magnitudinem ſunt comparatæ tabulæ, proinde maior in vna, quàm in altera, ſit vnius miliarij capacitas, ad quam circinus contrahendus extendusve eſt, cùm iter ex vna in alterius locum aliquem proſequimur. Quemad modum autem primam Coſmographiæ editionem, in primo Geographiæ Tomo, Ptolomæi inquam, tabulis factam Illuſtriſsimo parẽti tuo, domino meo clementiſsimo dedicaui, ita æquũ eſt, proximam hanc euulgationis partẽ Illuſtriſsimo nomini tuo ſacram facere, quo patri & filio pariter, Illuſtriſsimis Clementiſsimisque dominis meis, & quidem naturalibus, vt ſub quorum tutela, in terra Iuliacenſi, & parentibus Iuliacenſibus conceptus, primisque annis educatus, licet in Flandria natus ſum, iuſtæ reuerentiæ, obediẽtiæ, & gratitudinis pro beneficijs, quibus Illuſtriſſimus parens tuus me cumulauit, teſtimonium palam reddam, & cognoſcant poſteri veſtram erga ſtudioſos, qui Reipublicæ prodeſſe laborant, benignam clementiam, & beneficentiã, ad quam in futurum celebrandam pro mea virili hactenus ea meditando quæ Reipub. vtilia & grata perpetuò eſſe poſsint enitor, & laborabo quoad vixero. His ergo nunc inceptæ nouæ Geographiæ partibus ILLVSTRISSIME PRINCEPS & ſtudioſorum artiumque bonarum amantiſsime, patrocinare precor & tanquam reliquorum prælibamento früere, donec totum exurgat Coſmographiæ opus in ordinem ſuum redactum, quod Illuſtriſsimo parenti tuo in æternam beneficiorum & patrocinij memoriam, pariterque æterno Tuo nomini ab initio deſtinatum eſt, cuius complementum fœliciter vt finiam, ILLVSTRISSIMIQ; PRINCIPES, domini mei Clementiſsimi in proſpera valetudine cum voluptate, vt citius fieri poterit, videant, Deum Optimum Maximum obnixè precor.

Duysburgi menſe Auguſto, Anno
1585.

Illuſtriſsimæ Celſit. T.

ſubditiſsimus Cliens

Gerardus Mercator Coſmographus.

GALLIAE
VNIVERSALIS TABVLA.

GALLIAM pro maxima parte duo potentiſsimi Reges obtinuerunt, Belgium inferius Hiſpaniarum Rex, cuius Principatus ſecundo loco explicabo: at Galliæ Regnum, quod maiorem Galliæ partem compræhẽdit, Francorum Regi, cuius Metropolis Lutetia Pariſiorum eſt, paret. Huius regni in ſua membra & officia diuiſio primaria hæc eſt. Nomina vulgaria ponam.

Regno & Coronæ Francorũ, 18. *ſubſunt Ducatus cum illorũ cliẽtelaribus Comitatib. 35. tanquam perpetuum patrimonium & hæreditas.*

- Orleans.
- Burgundia *cui clientelares ſunt Comitatus* — Neuers. / Charrollois, *ſed de hoc vide in tab. Ducatus Burgund.*
- Narbona.
- Britannia *cui fidẽ præſtant Comites* — Pontieure. / Portboix.
- Anion *cui fidem debẽt Comites* — Maine. / Vendoſme. / Beaufort. / Laual.
- Berry *cui fidem præſtat Comes Sancerre.*
- Normannia *cui hi ſub ſunt Comitatus* — Alencon. / Mortaigne. / Arcourt. / Eureux. / Malle. / Tinquarville / Longueville. / Chaumont. / Montpenſier. / Daulphin. / Auuergne. / Vie. / Eu.
- Auernia *cui homagiũ, ſiue fidẽ debẽt Comites* — Clermont. / Vaudemont.
- Guienne *cui fide obſtringuntur Comites* — Pithon. / Rhodes. / Armignac. / Marche. / Perdriac. / Angouleſme. / Perigort. / Ventadour. / Benon. / Lymoges.
- Tours.
- Barleduc.
- Valoys.
- Nemoux.
- Alencon.
- Reims.
- Laon.
- Langres.
- Borbon *cui ſubeſt Comes Foreſt.*

Comitatus *qui immediatè ſubſunt Coronæ Franciæ, Regno patrimoniales, 16. fuerunt, nunc verò 14. tantum.*

- France.
- Dampmartin.
- Beaumont.
- Champaigne.
- Vermandois.
- Meſſy.
- Chartres.
- Montfort.
- Melun.
- Perche.
- Eureux.
- Eſtampes.
- Dunois.
- Tholouſe.

Arteſia & Flandria *olim ſub Corona Franciæ erant, nunc ad Regũ Hiſpan. ditiones pertinent.*

Pares Franciæ 12. *ab Hugone Capeto inſtituti, qui Regis conſtituendi, cùm de ſucceſſione eſt controuerſia, poteſtatem haberent.*

- Sæculares
  - Dux Burgundiæ.
  - Dux Normanniæ.
  - Dux Guienne, ſiue Aquitaniæ.
  - Comes Flandriæ.
  - Comes Campaniæ.
  - Comes Tholoſæ.
- Eccleſiaſtici
  - Dux & Archiepiſc. Remenſis.
  - Dux & Epiſc. Laon.
  - Dux & Epiſcopus Langres.
  - Com. & Epiſc. Noion.
  - Com. & Epi. Beauuois.
  - Com. & Epiſc. Chalons.

Flandriæ Comitatum *Carolus* V. *cum Franciſco Valeſio pactus à fide exemit, qua Galliæ Regibus erat obſtrictus: Duces etiam & Comites reliqui ſeculares, quia Coronæ ſubiecti nunc ſunt, Parium poteſtate vti nequeunt. ſoli Eccleſiaſtici, vt Eccleſiaſtici, ſuo loco manent, & quando eſt opus alij ſeculares Principes pro arbitrio adhocantur.*

Status Ciuilis: *Septem ſunt ſummi Senatꝰ per Galliam, quos vulgò Parlamenta vocant, à quibus appellare non licet.*

- Pariſienſis, *cuius 80. perpetui pronocationum ſunt definitores, teſte Iohanne Rubano, & diuiditur in 4. Curias.*
  - Prima eſt Camera, 4. Præſidentes, & Conſiliarios 30. habens.
  - 2. Inquiſitionum.
  - 3. Arreſtarum.
  - 4. Requeſtarum vel Supplicationum.
- Tholoſanus.
- Rotomagenſis, *Roan.*
- Diuionenſis, *Dyon.*
- Burdogalenſis.
- Aquenſis, *Aix in Prouincia.*
- Gratianopolitanus, *Grenoble.*

Academiæ *in Regno Galliæ ſunt hæ. Paris, Poictiers, Bourges, Tholouſe, Bordeaux, Nantes, Lyon, Orleans, Montpellier, Cahors, Grenoble, Valence, Reims, Angiers, Caen quæ Cadomenſis dicitur, Nimes, Romans:*

Status Eccleſiaſticus.

Archiepiſcopatus duodecim, quorum Suffraganeos in particularibus tabulis notabo.

- *Lyon, Lugdunenſis Primas.*
- *Aix, Aquenſis in Prouincia.*
- *Vienne, Viennenſis.*
- *Reims, Remenſis.*
- *Narbone, Narbonenſis.*
- *Tholouſe, Tholoſanus.*
- *Bordeaux, Burdegalenſis.*
- *Aux, Auxitanus.*
- *Bourges, Bituricenſis.*
- *Tours, Turonenſis.*
- *Roan, Rotomagenſis.*
- *Sens, Senenſis.*

Ducatus *Comitatus q́, hîc ſupra nominati, qua parte quærendi ſint, index poſt tabulam ſequens indicabit, quem in hunc vſum collegi, vt ſaltem clariora quæq; Galliæ loca mox inueniri poſsint, quando quæ in particularibus ſunt tabulis compræhendere immenſi operis eſſet, nec admodum neceſſarium.*

Medius tabulæ Meridianus eſt 23. reliqui ad eum inclinantur iuxta rationes 44. & 49. Parallelorum.



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 114 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

BRITANNIA, NORMANDIA, BEAVSSE, POICTOV, BERRY.

- BRITANNIA
  - Inferior habet dominia
    - Grello cuius principalis locus Chasteau Audron 17 38: 48 22.
    - Le Pais de Gueel.
    - Baignon.
    - Montfort.
    - Vannetais 17 28: 47 12.
    - Rohan vicomté 17 13: 47 41.
  - Superior in qua sunt
    - Pais de Brieux.
    - Iugon 28 6: 48 22.
    - Plerel.
    - Pontigny.
    - S. Iulian de Vouantes.
    - Auseuy.
    - Lamballe 17 54: 48 21.
    - S. Malo.
    - Iocelin.
    - Redon.
    - Renes.
    - Clisson sub quo comprehenduntur, Pais de Rhez, Clissonois, & Chantaussy.
    - Montconteoul.
    - Dinan.
    - Malestroit.
    - S. Aulbin 19 6: 48 0.
    - Nantes.

Status Ecclesiasticus Britanniæ.

Archiepiscopus *Dolensis in Dol. Hos sub se habet Episcopos: Nannetensem Nantes, Venetensem Vannes, Briocensem S. Brieu, in his tribus Gallicè & Britannicè loquuntur.*
Carisopitensem Corneuaille 17 23: 48 22. Leonensem S. Pol de Leon, Trecorensem Treguir. In quibus Britannica tantùm lingua, quam vocant Britòn Britonant in vsu est, quam veterem Troianorum linguam esse putant.
Macloviensem S. Malo, & Redonensem Renes. In his, ac Dolense Gallicè tantùm loquuntur.

- NORMANDIA
  - Superior in qua sunt
    - Duces
      - Alencon.
      - Aumalle 22 39: 49 50.
      - Longueuille.
    - Comites
      - Eu partim, nam pars in Francia est.
      - Harcourt.
      - Eureux.
      - Tancarville 21 26: 47 22.
      - Mauleurier.
      - Mortain 19 34: 48 39.
      - Montgommery.
    - Vulx in dimidia parte, in qua est Gisors villa capitalis, Comit. & Balliage 22 59: 47 8.
    - Baroniæ. L'Aigle 21 50: 48 47.
  - Inferior in qua sunt
    - Pais de Caux 22 0: 49 30.
    - Pais de Bessin 20 20: 49 6.
    - Constantin, Metrop. Constance.
    - Hoüinet.
    - Royaume de Yuetot 21 51: 49 36.
    - Le Vaulx de Vire.

Status Ecclesiasticus Normandiæ.

Archiepiscopus *Rothomagensis Roan, cui subsunt Episc. Sagiensis Sees 21 16: 48 42. Constanciensis Constance, Lexouiensis Lisieux 20 10: 47 4. Abrincensis, Auranches, Baiocensis Baieux, Ebroicensis Eureux.*

- BEAVSSE triplex est
  - Haulte Beausse in qua sunt
    - Chartrain, *Chartres Duc. & Comit. in quo sunt*
      - Comit. Dreux.
      - Comit. Montfort.
    - Aniou *Duc. & sub illo Maine Comit.*
    - Perche *Comit. in quo*
      - Perche Gouet cuius principale oppidum Nogent le Rotrou.
      - Haulte Perche in quo Mortaigne oppidum principale.
  - Basse in qua sunt: Pais d'Orleans, Solongne, & Lorris 23 26: 47 56.
  - Moyenne Beausse in qua sunt
    - Comit. Blois sub quo Dunois Comit. cuius præcipuum oppidum Chasteaudun, & Com. de Tonnoire.
    - Vendosme Comit.
    - Touraine Duc.

Status Ecclesiasticus in Beausse.

Archiepisc. *Turonensis: Tours habet sub se Cenomannensem: Le Mans, & Andegauensem: Angiers.*
Episcopus *Carnotensis Chartres subest Senonensi in Campania, & item Aurelianensis.*

POICTOV & BERRY *peculiaribus tabulis latius declarabuntur.*

Hæc pro magna parte collegi ex Itinerario Gallico intitulato La guide des Chemins de France.

Medius Meridianus 19: 0. reliqui ad hunc inclinantur ratione 46 40. & 49 0. Parallelorum.

b

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 116 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

AQVITANIA AVSTRALIOR.

Quæ reliqua sunt Aquitaniæ vsque ad Ligerim fluuium continent tabulæ Pictauiensis & Biturigum.

Sunt *in vniuerso Aquitaniæ Ducatu*

- Ducatus
  - *Guascongne, siue Guirnne.*
  - *Auuergne.*
  - *Angoulesme.*
  - *Berry.*
  - *Touraine, Tours.*
- Comitatus
  - *Tholose.*
  - *Narbonne.*
  - *Albret* 20:30.44:0.
  - *Armignac* 21:0.43:30.
  - *Bigorre feudalis Tholosano* 20:0.43:0.
  - *Beat* 21:45.42:40.
  - *Estrac.*
  - *Commingeois feudalis Tholosano* 22:0.42:25.
  - *Foix feudalis Tholosano* 22:15.42:50.
  - *Ventadour.*
  - *Pompadour.*
  - *Montignac, in Poictou.*
  - *Perigort, Perigeux.*
  - *Esparre.*
  - *Lymosin, Lymoges.*
  - *Pictou.*
  - *Marche.*
  - *Fronssac Viconte* 20:30.44:54.
  - *Touraine, Tours.*
  - *Aulnay, Viconte.*
- Dominia
  - *Basque.*
  - *Planes* 20:0.44:20.
  - *Graue.*
  - *Chaloces.*
  - *Saintonge.*
  - *Aulnis.*

Status Ecclesiasticus.

Archiepiscopi 5.

- Narbonensis, *Narbona, sub quo suffraganei* 10. *Carassona, Agatensis: Agde, S Pontij Thomeriacum: S. Pons, Electensis: Aleth, Maguelone* 24:37.42:44. *Elnensis: Ealne, Bitercensis: Besiers* 23:50.42:41. *Ledouensis, Ledeue: Nemausensis, Nimes: Vticensis, Vsez.*
Tornay. 25.51
Tornoiata. 22.43
Tornu. 27.46
Toſa fl. 30.46
Touars. 21.47
Toul. 28.49
Toullon. 26.47
La Tour. 22.44
La Tour. 27.43
Tours. 21.48
Toury. 24.49
Treguel. 17.49
Treport. 23.51
Trier. 29.50
Troye. 26.49
Tubingen. 31.49
Tulles. 23.45
Turin. 30.44

V.

VAbres. 24.44
La Val. 20.48
Valence. 26.45
Valenchienes, 25.51
S. Valer. 26.45
S. Valeri. 22.50
Valonges. 20.50
Vannerans. 22.43
Vannes. 18.48
Varengen. 22.50
Vareunes. 25.46
Vauculeur. 27.49
la Vaur. 23.44
Veldkirch. 32.47
Venasque. 22.43
Vendoſme. 22.48
Venlo. 28.52
Vennes. 28.48
Verdu. 27.47
Verdun. 27.50
Vernueil. 23.46
Very. 28.4
Veſoul. 28.4
Veuillè. 28.4
Viande. 28.3
Vidauberi. 28.4
Vieirzon. 24.4
Vienne. 26.4
Vilene fl. 19.43
Villa Franca. 24.45
Villa Vitioſa. 15.44
Ville Franche. 24.47
Ville Franche d' Alban. 24.44
Ville Franche d' Albingeois. 24.44
Ville Franche de Rouergue. 24.45
Villemur. 23.44
Ville neuf. 29.46
Ville Rauge. 24.44
Vinay. 30.44
Vinſtering. 29.49
Vircelly C. 29.42
Vire. 20.49
Viſp. 30.46
S. Vit. 28.51
Viteau. 26.47
Vitrey. 20.48
Vitry. 27.49
Vuonne. 21.47
VLANDEREN. 24.52
Vliſſingen. 25.52
Vouuant. 20.47
Vſel. 30.45
Vſez. 26.44
Vſez. 25.44
Vtert. 27.53

VV.

VVaggis. 31.47
Vvaldeck. 31.52
Vvalderfang. 29.50
Vvarneſtein. 30.51
S. Vvendel. 29.50
Vveſel. 28.52
Vveſen. 31.47
Vveſer fl. 32.52
Vvight inſula. 20.51
Vvirtzburgh. 32.50
Vvorms. 31.50

X.

XEndargel. 23.42

Y.

YSſoire. 25.46
Yuerdon. 29.47

Z.

RHein Zaberen. 30.49
Zena. 27.43
Zurich. 31.47
Zvveibrucken. 29.50

FINIS TABVLAE.



AD STVDIOSVM LECTOREM.

EAM Galliarum partem quam obtinet Hiſpaniarum Rex deſcripturus, idem quem in Francorum Regno conſtitui, ordo ſequendus mihi erit. Primùm ergo ea quæ de Inferioris Belgij politico ſtatu mihi in ſtudioſorum gratiam communicauit vir clariſſimus D. Dominicus à Burmania accipe, poſtea prouincias Dominiaq; enumerabo & deſcribam.

POLITIA BELGII SVB BVRGVNDIONIBVS.

OMNIS Gallia ſecundum Iulium Cæſarem diuiſa eſt in Belgicam, Celticam & Aquitanicam. Belgicæ mediam ſortè partem Hiſpaniarum Rex aliquot iam poſſidet ſæculis: alteram, Picardiam ſcilicet, Campaniam, Normandiam (ſquanquam hæ duæ poſtremæ non in totum ſub Belgio continentur) & reliquam Belgij partem poſſidēt Dux Lotharingiæ, Iuliæ, Cliuiæ, Archiepiſcopus Treuirenſis, Moguntinenſis, Colonienſis, Epiſcopus Leodiēſis & alij. Produxit hæc Belgica teſte Iulio Cæſare illuſtriores ſemper ac fortiores milites quàm reliqua Gallia, ita vt non modò illius tempore, verùm etiam noſtro ſæculo omnem belli molem ſuſtinuerit.

Continet autem circiter 320. vrbes munitas, & circiter 230. oppida priuilegiata, pagos verò plus minus 12000.

Et quanquam tota hæc Belgica propter diuerſas Imperiales & Regales dignitates, Electoratus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, coronationē tam Imperatoriæ Maieſtatis Aquiſgrani, quàm Regni Franciæ Seſſionæ mirè inclareſcat, illa tamen pars, quæ Regi Catholico ſemper paruit, longè nobiliſſima eſt: tum propter ortum ac natalem quamplurium Monarcharum, Regum, Principum & Ducum, tum etiam propter frequentes in ea & opulentiſſimas vrbes, infinita oppida, & innumerabiles pagos, ad eoq; inhabitatorū admirandā frequentiam, eorum diuitias, ciuilitatem, ac animi fortitudinem. Quibus etiam Carolum V. Imperatorem motum fuiſſe ferunt, vt in deliberationem multoties traxerit, in Regnum eas prouincias eſſe erigendas. verùm propter priuilegiorum, morum, atq; legum in ſingulis prouincijs diuerſitatem, tum continuorū bellorum difficultates, quibus opprimebatur, ab inſtituto reuocatum fuiſſe.

Hæc pars in circuitu habet ferè 340. milliaria Flandrica, Italica 1000. cōtinet vrbes clauſas 208. & circiter 150. oppida, vrbibus propter ſplendorem & priuilegia haud inferiora: pagos verò plus minus 6300. maiores minores autem infinitum numerum ferè, ſicut & diuerſa Dominia ac principatus merum aut mixtum imperium habentia.

De Præſide aut Gubernatore totius Belgij.

Eadem in hoc Belgio eſt adminiſtrandæ Reip. ac iuſtitiæ ratio, quæ in regno Galliæ, eadem Magiſtratuū nomina, eademq; autoritas Prouincijs omnibus. Vnus à rege Catholico ſemper eſt generalis cum ſumma authoritate Præfectus, qui & Burgundiæ quoque Comitatui præeſt, neq; enim præ multitudine regnorum ac prouinciarum ipſius eam, ſicut Burgundiæ Duces ſolent, adminiſtrare valet. Quapropter tempore Maximiliani Cæſaris, eiuſque filij Philippi, ſummæ rerum præfuit ad tempus Georgius Saxoniæ Dux. Caroli V. Imperatoris tempore primū Margareta Auſtriæ, Imperatoris matertera, qua defuncta ſoror dictæ Cæſariæ Maieſtatis Maria Vngariæ Regina ab anno 1531. ad 1555. quo Imperatoria Maieſtas totum Belgium filio Philippo renunciauit, qui ſucceſſiuè eaſdem prouincias demandauit ſuo nomine regendas Emanueli Philiberto Sabaudiæ Duci conſobrino, puta ex duabus ſororibus Regis Luſitaniæ vtroq; nato, qui à Rege Ducatui ſuo Sabaudiæ reſtitutus Præfecturæ renunciauit, atq; in eius locum ſurrogata eſt Regis ſoror Margareta Parmæ ac Placentiæ Ducis vxor, cui præter alia conſueta aſſignati fuēre in ſingulos annos 36. millia coronatorum. Hic Præfectus licet ſummam adeoque pleniſſimam haberet per totum Belgium authoritatem, cuncta tamen maiora munera ac officia, vt ſunt, Præſidatus, Cancellariatus Statuum, ita omnes leges, decreta & negotia ſub Regis nomine diſtribuuntur, atque emanant. Scire autem hìc oportet, antequam de ſingulis conſilijs ſeorſim quid dicamus, olim duo illa conſilia Statuum & Priuatum vnum tantum apud Principem fuiſſe, quod Priuatum nuncupabatur: verùm excreſcentibus negotijs in duo diuerſa id partiri neceſſe fuit.

De Conſilio Statuum.

Conſilium Statuum, vt vocant, quod apud Gubernatorem reſidet, incerto conſtat Conſiliariorum numero, pro arbitrio enim Principis negotiorum neceſſitate plures vel pauciores adhibentur. Conſtat verò ex diuerſis Prouinciarum Belgij Præfectis, nonnullisque doctoribus, qui propter doctrinam, integritatem, ac virtutes ſubindè adhibentur. Huic ordini vnus præeſt Iudex ſeu Præſes conſilij. Cum hoc conſilio deliberat Belgij ſummus Præſes ſuper rebus Principis & publicis, puta de bello & pace deque generali totius patriæ regimine. Eodem in deliberationem veniunt, quæ ab omni parte adferuntur. Item fœdera cum Principibus ac vicinis, an dimittendi vel retinendi ſint belli Duces. Item de propugnaculis, munitionibus, prouiſionibus armorū, qui demandandi & recipiendi legati, cunctaque huc referuntur ex conſilijs magis ardua negotia. denique vt ſummatim dicamus, quicquid conſeruationem ac protectionem totius patriæ intus & foras concernit, in hoc conſilio deliberatur. Solent & extraordinarijs & magis arduis negotijs adhiberi quoque omnes Ordinis aurei velleris, & ex alijs gubernatoribus prouinciarum, officiarijsque Regijs nonnulli.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 147 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

De Consilio Priuato.

Consilium quod vocant Priuatum seu Secretum similiter apud Gubernatorem residet. Constat ordinariè 10. vel 12. Consiliarijs, ijsque Doctoribus aut Licentiatis à Rege vel eius locum tenente electis. Hoc cùm diuisum sit propter multitudinem negotiorum à præcedente consilio Statuum sibi reseruauit quicquid ad iustitiam, ius, & Politiam pertinet, & inspectionem aliorum consiliorum. Huius itaque est cõcedere priuilegia, consensum, gratiam, veniam, remissiones. Item condere leges, ordinationes, statuta, edictaque, vnde & Magistri supplicationum vocãtur. Huius item consilij est cognoscere de limitibus, ac confinibus prouinciarum, deque partibus principalibus dominij, superioritatis, & autoritatis Principis, Dominorum & aliorum aulicorum immatriculatorum. Denique consilium hoc robur est ac conseruator Iustitiæ, cæterarumque rerum omnium inspector, quanquam subinde magis ardua consilio Statuum communicet, ac viceuersa illud quæ politiam ac Iustitiam aliquo modo concernunt cum hoc conferat ac communicet. Habet & hoc Consilium suum Præfidem.

De Consilio Finantiarum.

In eadem curia residet & aliud Consilium, quòd vulgò Finantiarum vocant. Huic communiter præfecti semper fuêre tria ex prudentioribus dominis patriæ capita, vnus Thesaurarius, vnus receptor generalis, & tres Commissarij docti ac prudentes, cum duobus Gressiarijs alijsque officiarijs. Hoc Consilium curam habet bonorum patrimonialium & redituum Principis, subsidiorũ ordinariorum & extraordinariorum, Cameræ rationalis, Receptorum, aliorumque officiariorum Regias pecunias tractantium. In eodem siunt taxationes, rationes assignantur soluendi quicquid concernit pacem vel bellum, fortificationes, munitiones, prouisiones, adeoque omnes expensas, tam ordinarias quàm extraordinarias pro conseruatione Status patriæ. Hoc item bona Principis elocat, facit moderationes ac restrictiones contentas eius ordinationibus. Breuiter totam agit curam Regij thesauri vniuersi.

De Consilio Cameræ Rationalis.

Est & alius Bruxellæ Magistratus Regius, qui est tanquam membrum Consilij Finantiarum, appellaturque Camera Rationalis, cui præest vnus Præses & septem Magistri rationum, quatuor scilicet ordinarij, & tres extraordinarij, cum nonnullis alijs officiarijs. Reddunt huic rationem administrationis pecuniarum Regis omnes thesaurarij & Receptores Brabantiæ & adhærentis ditionis. Item agri Lutzenburgici, recipiuntque omnes hic suas quitantias. Præter hanc verò Cameram sunt adhuc in Belgio tres aliæ Cameræ rationales in Flandria scilicet, Hollandia & Geldria, quæ omnes summariè rationem reddere coguntur Finantiarum consilio tanquam omnium inspectori. Atque hæc sunt consilia & Magistratus vel officiarij, qui perpetuò generalem Belgij Præfectum comitantur, vel apud eum residents.

De Consilijs Prouincialibus.

Est & aliud in hoc Belgio Consilium in singulis ferè prouincijs, quod Parlamentum Regium vulgò nominant, quale est Mechliniæ, in Brabantia verò Cancellariam vocant. Præsunt huic communiter secundum diuersa loca vel 12. vel. 16. vel 18. Consiliarij Doctores & Licentiati, vnusque Præses seu Cancellarius tanquam Iudex. Adsistunt pariter Aduocatus & Procurator Fisci, Gressiarij, Secretarij, alijque officiarij, omnes à locum tenente Regio electi, & à Rege stipendiati. Hic Magistratus summa pollet authoritate cunctarum ciuilium & criminalium causarum, & omnium in hisce prouincialibus, Dominijsque Regijs controuersiarum cognitionem habens. Habet & actiuam & passiuam cognitionem fundamentorum, confinium ac differentiarum, quæ à prælaturis eorumque iurisdictionibus procedunt, exceptis bonis mortuis, vulgò amorrisez: eorum enim cognitio ad curiam Ecclesiasticam pertinet. Similiter obseruari facit priuilegia, exemptiones, officia, beneficia, ac prouisiones, à Principe concessa, saluis nihilominus semper iurisdictionib. & priuilegijs locorum particularibus. Huc vocantur in ius nõ solùm oẽs regij Officiarij, & ministri prouinciales, sed & Rex ipse, pro quo respondent eius Procurator & Aduocatus, minimeque summa eius authoritas, aut dignitas cuiquam præiudicio ac damno est. Quinimo accidit iam pridem in Geldria regnante Rege Philippo, vt cùm Maiestas ipsius in causa quadam grauissima contra Dominum de Anholt succumberet, nullusque officiariorum, sententiam executioni mandare auderet, Rex ipse eam realiter executus sit. Ad hoc tribunal cunctæ deuoluũtur appellationes inferiorum cuiusque prouinciæ iudiciorum, neque hoc vlam contra appellationem admittit, sed duntaxat syndicatum, quem reuisionem vulgò vocant. Rarius verò fit vt non reuisionem petens, & maximarum expensarum, eo scilicet nomine faciendarum, & ipsius causæ iacturã patiatur. Sed nec per reuisionẽ hanc sententiæ prioris executio differtur. Iudicatur in omnibus hisce summis Curijs secundum Ius commune, saluis tamen legibus municipalibus singulorum locorum constitutionibus, quæ plurimæ quidem sunt, decretisque Principum vulgò Mandamentis, quæ quatenus priuilegia non lædant, cæteris legibus omnibus præferuntur. Veruntamen antequam hæc publicanturin deliberationem & cognitionẽ prædicti Consilij trahuntur, suntque eatenus in iure fundata, quatenus cum legibus scripris conueniunt.

Præterea nullum fere habet Rex pacis tempore classem maritimam instructam, sed quia omnes regni portus nauibus diuersis abundant, necessitatis tempore omnes eas naues, vel quot & quas ex ijs libet sisti iubet, suisque eas sumptibus ad bellum adornat, soluto nauium domino quod æquum est. Atque in hunc finem toti rei maritimæ vnum præfecit summum belli totiusque classis Ducem, quem Admiralium vulgò vocant. Is fuit Comes Beuerienſis, hic omnis prædæ belli tempore, omnium confiscationum, omnis deniq; generalis mercaturæ, quæ cum licentia Regis ex hostili solo ad nos defertur, sibi habet partem. Hanc verò regis licentiam Admiralius sua manu approbare & confirmare debet antequam idemnitatem sibi promittere mercatores queant.

Est & alius maximę quidem dignitatis Præfectus tormentorum bellicorum, & quicquid id genus armorum concernit, quæ quidem arma ordinariè Mechliniæ asseruari solent, atq; horum cura domino de Glaion Aurei velleris Equiti demandata fuit.

De Dominijs seu bonis patrimonialibus Principis.

Venationes, aucupia, & piscationes per hasce terras pro distinctione Iurisdictionum sunt Principis, ciuitatum propriorumq; dominiorum, excepta Brabantia, vbi quinq; tantùm sylvæ Principi ab omni venatione & aucupio liberæ sunt, per reliquam totam prouinciam vnicuique cum canibus & auibus, non retibus, libera est venatio, aucupium, & piscatio. Princeps in singulis ferè prouincijs suos venationi Præfectos habet, & nominatim per Brabantiam, magnæ dignitatis officium est, cui præesse solet Marchio Bergensis, eoq; nomine vulgò Magnus Brabantiæ Venator appellari solet.

Præcipuæ quæq; earũ regionum sylvæ ad regis vsum non modò venandi, sed & lignandi spectant, estq; non minima suorum redituum pars. reliqui reditus in ciuitatibus, villis, castellis, terris, molendinis, aliisq; ab omni antiquitate Principibus patriæ attributis consistunt, qui vulgò Domaines, Latinè Dominia, vel proprius bona patrimonialia vocantur. Sed & vectigalia quædam mercantiarum tam mari quàm terra inter eos reditus cõnumerantur, similiter & reditus quosdam in præcipuas ciuitates rex habet, puta in Antuerpiam, vbi præter partem suam omnium confiscationum: habet & monetæ, carcerum, & piscationum locationem, aliaq; nonnulla, quæ Regium dominium, vt vocant, mirè adaugent.

Modus conuocandi Status.

Princeps petiturus quid, vel nouum tributum, nouasue leges impositurus, conuocare solet, certo assigna to die & loco, qui communiter Bruxellis esse soleat, tum proprer Regiam Curiam, tum quòd Brabantini extra ditionem suam nihil deliberent, omnes totius Belgij ordines, qui sic debitè interpellati haud grauatè comparent, vel saltem secũdo, sub mulcta aliqua pecuniaria appellati legitimo numero plures vel pauciores, prout citati sunt, pro causa necessitatis conueniunt. Sunt autem qui communiter Bruxellis comparere solent hi, Brabantini, Flandri, Artesij, Hannonienses, Valentij, Ryssel, Douay & Orchies, Hollandi, Traiectenses, Zelandi, Namurcei, Tornaci, & Tournesij, & Mechlinienses. Reliquarum prouinciarum ordines, vt sunt Geldri, Frisij, Luxeburgij, quia remotiores sunt à suis Gubernatoribus (nisi grauissimæ sint deliberationes) conuocantur, & cum eo transigunt. Cæterum Ordinum generalium tres sunt status, 1. Ecclesiasticus, 2. Nobilitas, 3. præcipuæ ciuitates. Horum statuum membra, Personæ ac deputati ij qui ab omni antiquitate ad id electi & constituti fuerunt comparent, vel suos deputant legatos, licet alij, nisi legitimas habeant excusationes in persona comparere teneantur. Verùm non omnium regionum idem est in hac parte vsus & consuetudo. Exempli gratia, Brabantini, Hannonienses, Artheſij, Namurcenses, & Zelandi diuersis commissarijs rem expediunt, puta Ecclesiastici Abbatem, Nobilitas, Ducem, Marchionem, Principem, Baronẽ & nobiles, ciuitates verò Consules, vulgò Burgimagistros, & duos vel tres Scabinos, vnumq; ciuitatis Pensionarium, plures vel pauciores pro facti exigentia delegant. Flandri per vnum solum legatum vel Commissarium vulgò, ratione quatuor membrorũ comparent, quæ quidem 4. membra omnes tres supradictos status repræsentant. quanquam & hi separatim suos delegare queant, qui inspectionem in factum legati 4. membrorum habeant, ne quid præiudicij illis pariat. Verùm communiter quod quatuor ea mẽbra statuunt id ratum firmumq; habetur. Hollandi duorum tantum statuum nomine, nobilitatis scilicet & ciuitatum legatos deputant, ijque rotam prouinciam repræsentant. Hoc modo coacto Consilio in præsentia Præfecti regij Præses, vel quis Statuum Cõsiliarius Principis seu Regis nomine petitionem eiusdem perpulchro huic ordini humanissimè exponit. Illi post consuetas deliberationes singuli pro sein scripris res dependunt, quo equidem responso si regi non sit satisfactum, multis conatur rationibus Ordines ad suam petitionem permouere, quin etsi ad vnum pene omnes Ordines regis voto consensissent, sola tamen Antuerpia hunc consensum infringere & annullare poterit, siquidem Ordines omnes ea lege & conditione consentire semper censentur, si in eam omnes status, atq; singula eorum membra id comprobant, & in suã portionem consentiant. Quocirca omnino necesse est non modò omnes Ordines seu status generaliter consensisse, sed & omnium statuum singula quoque membra consensum suum vnanimiter dedisse. Vnde plerunq; fit, vt non attentis quibusuis regis remonstrationibus, iustisq; rationibus, nihil penè vnquam Regi propter votorum diuersitatem concedatur, quo quidem casu Rex pro eo tempore patienter acquiescit, & in commodius tempus differt. Attamẽ rarius est, vt non moderatus Princeps à subditis discretis ac placidis vori sui tandem compos fiat. Si quam pecuniam Principi promiserint, neque eam commodè in parato habere queant, aliam incunt inter se, cum consensu tamen Principis conquirendi rationem, vectigal quoddã vel simile quippiam grauaminis rebus communibus ad tempus imponendo, vel alio quodam cõmodo, modo pro ratione loci, temporis, & occasionis, quæ iuxta modum, taxam, & proportionem cõsuetam suo tempore dependitur. Ecclesiastici suam portionem separatim soluunt, nobilitas & ciuitates propter affinitatem commerciorum & vtilitatis inter se simul soluunt, Brabantini quidem vt primi, propter antiquitatem & dignitatem Ducalem, suam dependunt partem in florenis 20. stuiferorum. Flandri propter opulentiam suam in florenis 24. stuiferorum, & sic reliquæ quoq; prouinciæ iuxta consuetas taxas, quæ non facilè immutantur vel transgrediuntur.

INDEX TABVLARVM BELGII INFERIORIS.

r. Belgij vniuerſalis
ſ. Flandria
t. Brabantia
u. Hollandia
x. Zelandia
y. Geldria cum Oueryſſel in Germania ſitæ
z. Arteſia
&. Hannonia & Namurcum
&. Lutzenburg & Trier.

Ad regimen Belgij huius pertinet etiam Friſia, quæ inter Germaniæ tabulas prima eſt, littera B.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 149 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

BELGII INFERIORIS
TABVLA.

- Belgij *inferioris 17. sunt Prouinciæ Regi Hiſpaniarum patrimoniales*
  - *Ducatus*
    - Brabant.
    - Limburg/ *cum Comitatu Dalem & Dominijs* Valckenburg *ac Rode le Duc, Brabantiæ annexa ſunt, & à Iuſtitia, & Cancellaria Brabantiæ dependent.*
    - Lutzenburg.
    - Geldre.
  - *Comitatus*
    - Vlaenderen.
    - Artois.
    - Hainault/ Henegou.
    - Hollandt.
    - Zeelandt.
    - *Namur,* Namen.
    - Zutphen.
    - Marchionatus *Imperij, qui 4. principales ciuitates habuit, Niuellam, Louanium, Bruxellam, & metropolim Antuuerpiam, nunc Brabantiæ pars eſt.*
  - *Dominia*
    - *Magnum Friſiæ Dominium.*
    - Mechelen.
    - Vtrecht.
    - Ouerÿſſel.
    - Groeningen/ *ſiue Friſia Orientalis, liberum Dominium.*

Harum Prouinciarum quædam, vt Zutphen/ Ouerÿſſel/ *Magnum Friſiæ Dominium, & Orientalis Friſia, licet in Germania ſint ſitæ, tamen quia Belgij inferioris Dominio ſubiectæ ſunt, hic recenſentur, primo autem loco in Germaniæ tabulis deſcribentur.*

Status harum ditionum Politicus, *tàm generatim, quàm ſpeciatim ferè triplex eſt:*

Primus *eſt Eccleſiaſticus, in quo præcipui ſunt Abbates.*

Secundus *Nobilitatis, vt ſunt Duces, Comites, Marcgrauij, Principes, Barones, & magni Domini.*

Tertius *Ciuitatum, quem primariæ cuiuſque ditionis ciuitates repræſentant.*

Hi *ſtatus à Principe conuocantur, quoties de rebus ad Principem, aut ad Principatū, aut ad conſeruationem & vtilitatem ditionum pertinentibus deliberandum eſt.*

Status Eccleſiaſticus. *Quatuor ſunt in hoc inferiore Belgio Epiſcopatus,* Camerick/ Dornick/ Vtrecht/ Arras *Gallis, hi tres ſubſunt Archiepiſcopo Rhemenſi, &* Vtrecht/ *qui Archiepiſcopo Colonienſi ſubeſt.*

Prouinciæ *Leodienſis & Morinenſis, ſiue Taruannenſis in aliquam partem huius Belgij extenduntur.*

Academiæ *ſunt duæ, Louanium & Douay, olim inſtitutæ, & nunc tertia addita, Lugdunum Batauorum.*

Collecta ſunt hæc ex Ludouico Guicciardino, qui amplè & eleganter Prouincias Regias Belgij deſcripſit.

Medius Tabulæ Meridianus 26. o. reliqui ad hunc inclinantur, pro ratione 50. & 52. latitudinis Parallelorum ad circulum maximum.



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 151 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

FLANDRIA

Comitatus, Vlaenderen.

Status Politicus *Flandriæ, tribus constat membris.*

- Primum *membrum, Prælati Ecclesiastici*
  - Ordinis *S. Benedicti Abbates* 7. *S. Peter & S. Baets Gandaui, S. Winnock in* Bergen, *S. Andrieß*/24. 23. 51. 15. *S. Peter in Oudenarde, Eename* 24. 52. 50. 51. *Marchienne.*
  - Ordinis *S. Bernardi Abbates* 5. *Ten Dunen, Bondelo* 25. 15. 51 13. *Doeß* 24. 25. 51. 20. *Clammere* & 23. 25. 50. 49. *Marchienne, & Prioratus in* Waerschot 24. 50. 51. 12.
  - Ordinis *Præmonstratensis Abbates* 3. *S. Niclaes in Vuerne, Drongene* 24. 53. 51. 5. *S. Cornelis in Nieuone.*
  - Canonicorum *Regularium Abbates* 6. *Eechoute Soetendale* 24. 37. 51. 17. *Vuarneston, Sunnebeke* 24. 10. 50. 54. *Cysoing, Eelenpijn* 24. 11. 50. 52.
  - Eiusdem *ordinis* 6. *Præposituræ, S. Marten in* Ypren/*Vormesele* 24. 4. 50. 52. Watene, *Loo* 23. 53. 51. 2. *Euersam* 23. 51. 51. 0. *Peeuendale.*
- Secundum *membrum, Nobilitas*
  - Vicontez 5. Gendt/Ypren/Werne/Bergen/ Haerlebeke 24. 30. 51. 53.
  - Principatus 3. Steenhuse 25. 7. 50. 52. *Gauere, Espinoy* 24. 8. 50. 29.
  - Barones 4.
    - *2. in Comitatu, Cysoing & Heyne* 24. 51. 50 24.
    - *2. in Dominio, Pamele in Oudenarde, & Boelare* 25 7. 50 49.
  - Tribuni *militares,* Banderheeren
    - *In Comitatu Teutonico, Dominus de Neuele* 24. 46. 51. 4. *D. de Dixmude, D. de Beueren, de Praet prope Brugge, Haeßkercke, Vvatene, Heuerghen,* 24. 56. 51. 9. *Vvaestine,* 23 27. 50 48. *Caelten* 24. 22. 50 59. *Ingelmunster, Poucke, Grauthuse* 24. 27. 51 10. *Mole* 24 29. 51 15. *Maldegem* 24. 40. 51 16. *Oostcamp* 24 26. 51 12. *Veymendale, Colscamp* 24 24. 51 3. *Ghistele* 24 9. 51 13. *Setuoete* 24 6. 51 12. *Rousselare, Vvaestene* 24 8. 50 47. *Hondscote, Cassel, Noordpvie* 24. 22. 51 20. *Haeßkercke, Haleduijn* 24 19. 50 49.
    - *In Comitatu Gallicano, Castellanus de Lille, D. de Vvaurin* 24 6. 50 36. *D. de Comene.*
    - *In Dominio Flandriæ, Dominus de Rode, D. de Gauere, Sotteghem, Gontrode* 25 2. 51 0. *Scoriße* 24. 51. 50 48. *Potz* 24 33. 50 46. *Liekercke* 25 20. 50 54. *Lumbeke* 25 22. 50 50. *Roiselar in Meerbeke* 25 18. 50 50. *Vvedergraet in Neyghem* 25 21. 50 49. *Steenhuse* 25 7. 50 52.
- Tertium *membrum, sunt præcipuæ ciuitates*
  - *In Flandria Teutonica 4. præcipuæ ciuitates hoc membrum repræsentant.*
    - Gendt *cuius sortem sequuntur*
      - *In Comitatu Burgrauiatus Gandensis, & Castellaniæ Cortracensis ac Oudenarde & Biervliet.* 24 55. 51 23.
      - *In Dominio quædam sunt feudis Imperij, vt* 4. Ambachten/ d'Lant van Waes/ t'Graefschap Aelst/ *Alia libera Dominia, vt* Bornhem 25 29. 51 8. Dendermonde/ Gheerdsberge.
    - Brugge *cuius sortem sequuntur in censu & armis, quæ sunt pokt* 4. *officia, vsq; ad* Nieuport, *totus videlicet Franconatus* (het Vrie) *oppida eius clausa, & non clausa.*
    - Ypren *ad quam referuntur in censu & armis, Ypren* Ambacht / *Belle* Ambacht/ & *Cassel* Ambacht.
    - *Franconatus campestris* (het platte Vrie) *cuius sortem sequuntur in censu & armis* Wern Ambacht/ Bergen Ambacht, & Brouckborg Ambacht.
  - *In Gallicana 3. Ciuitates principales* { *Lille, Rijssel* / *Douay* / *Orchies.*

Tornacense *Dominium, & Status Flandriæ annexus, per se constat tribus membris, Ecclesiastico, Nobilitatis, & 4. supremis iustitijs.*

Status Ecclesiasticus. *Vnum habet Flandria, Episcopū Tornacensem, Archiepiscopo Rhemensi subiectum, in 5. tamē diœceses Episcopales diuisa est. Trajectensi subsunt 4. officia Hulst, Axele, Assenede, Bochoute. Tornacensi subsunt Gendt Cortrijck, Oudenarde cum illarum Castellanijs, Vvaes territorium, Brugge, Franconatus, & Lille cum sua Castellania. Atrebatensis comprehendit Douay & Orchies. Cameracensi subest Dominium Flandriæ vltrà Scaldim versus meridiem. Tornacensis habet Castellanias Ypren, Cassel, Vverne, Berghen, Broukborg, Belle.*

Iurisdictio.

In Flandria Teutonica sunt 14. principales Curiæ Comitis feudales, Viesborg Gādati, Burgus Brugis, Sala in Ypren, Castellum in Cortrijck, Curia in Harlebeke, in Tiele, Domus in Deinse, Curia in Peteghem, dicta Beaulieu, & domus Deinse subiecta, Tribunal in Oudenarde, Burgus in Vverne, Curia in Berghen, in Broucborg, in Cassel, & in Belle.

In Flandria Gallicana sunt 3. Curiæ Comitis feudales, Sala in Lille, Castellum in Douay, Curia in Orchies.

In Flandriæ Dominio sunt 4. Curiæ Comitis feudales, Tribunal in Aelst, Domus in Dendermonde, Prætorium Vvasiæ apud Sanctum Nicolaum, & Castrum Beueren.

Ex omnibus Curijs & Iurisdictionibus dicta appellatur ad Consilium Principis prouinciale, quod est Gandaui, inde ad Parlamentum, quod est Mechliniæ.

Hæc ex Petro Oudegherst sumpta sunt, qui exquisitissimè res Flandricas conscripsit.

Meridiani distant iuxta rationem Parallelī 51.

f



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 153 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

BRABANTIA,
GVLICK ET CLEVE.

Status *politicꝰ Brabantiæ tria habet membra,*

- Ecclesiasticos, *qui sunt*
  - Abbates *Affligem* 25 22:50 56. *Grimbergen* 25 39:50 57. *Tongerlo* 26 14:51 8. *Grunendal* 25. 44:50. 47. *S. Gertrudis Louanij. S. Bernardi* 25 36: 51 10. *Vlieer in Indice Belgico. Dieleghem* 25 37:50 53. *Parck prope Louanium, Vlierbeke prope Louanium. Prior Magnus Ordinis S. Augustini in Leeuwe, Gemblours* 26 0:50 35.
- Nobiles, *qui sunt*
  - *Abbas Gemblours Comes.*
  - *Dux Arschot.*
  - *Marchio Bergen op Zoom.*
  - *Barones. Dieft, Breda, Boxtel, Gaesbeeck* 25 29:50 49. *Wesemael, Boutersem* 26 11:50 51. *Perwweys, Hoochstraten nunc Comes, Renes* 25 42:50 33.
  - *Domini. Assche, Merchten* 25 29: 50 58. *Vuerne, Gheel, Lummen* 26 13:50 46. *Tournout, Oosterwwijck, S. Oedenrey, Wwelem* 25 45: 51 6. *Duffel.*
- Ciuitates, 4. *principales, Louanium, Bruxella, Antuerpia, Buscunducis.*

Status eius Ecclesiasticus. *Partim paret Leodiensi Episcopo, partim Cameracensi. Leodiensis Curiam & Magistratum Ecclesiasticum habet Louanij, Cameracensis Bruxellæ.*

Gulick *Iuliæ*

Status politicus *constat similiter 3. membris, quæ sunt*
- *Ecclesiastici, videlicet Abbates, & Collegia Canonicorum ac Monasteriorum.*
- *Nobilitas.*
- *Ciuitates.*

Præfecturæ *ditionis* 24. *Caster* 28 9:51 0. *Brugge* 27 35:51 17. *Born* 27 16:51 2. *Boisler* 27 51:50 59. *Euskirchen* 28 19:50 42. *Munstereyffel* 28 19:50 36. *Monjou* 27 50:50 37. *Eschwwiler* 28 17:50 38. *Greuenbroich* 28 7:51 2. *Wwassenberg* 27 37: 51 7. *Geilenkirchen* 27 40:50 48. *Hensbergh, Duren, Thonbergh* 28 29:50 36. *Berchem* 28 11: 50 56. *Heimbach* 28 3:50 39. *Wwilhemstein.* *Gladbach* 27 49. 51. 11. *Millen* 27. 31:51. 1. *Rangenraydt* 27 42:51 1. *Norwenich* *Nuenar Graefschaff.* *Gulich.* *Nideken* 28 5: 50 44.

Cliuiæ *Cleue*

Status politicus *similiter tres ordines continet. Ecclesiasticum, Nobilitatem, & Ciuitates.*

Satrapa siue Præfectus prouincialis Cliuiæ has sub se habet ciuitates 8, *Cleue metropolim, Calcar.* 27:38. 51: 45. *Sonsbeke Vbi residet.* 27: 43. 51: 36. *Santen, Burick.* 27: 56. 51: 37. *Vdem* 27: 35. 51: 41. *Griet.* 27: 40. 51: 48. *Griethusen.* 27 31. 51: 51.

Præfecturæ *sunt* 14. *Cranenburg.* 27:22. 51:49. *Duffel.* 27: 28. 51: 52 *Gennep.* 27: 18. 51: 44 *Goch.* 27: 29. 51: 42. *Orsoy.* 28: 2. 51: 30. *Huessen iuxta Arnhem.* *Lymers.* *Emmerick.* *Hetter.* *Aspel.* *Ringenburg.* 27: 59. 51: 44. *Bisselick.* 27: 49. 51: 38. *Dinslaken Præfectura, in qua sunt quatuor ciuitates, Dinslaken, Wwesel, Duysburg, Schermbeke.* 28: 16. 51: 43. *Holte.* 28: 11. 51: 29.

Dominium *Rauestein annexum est Curiæ Cliuicæ.*

Meridiani distant } iuxta rationem paralleli 51. 10.
ad circulum maximum.

Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 154 *of* 284
THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 155 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

HOLLANDIA
COMITATVS.

Com. *Egmont* 25 51: 52 44.
Com. *Ligne* cuius sunt dominia. *Wassenar* 25 38: 52 15. *Valkenborch* 25 40: 52 18.
& *Vicecomitatus Leidensis ciuitatis.*
Inuenio & hos Comitatus in Hollandia. Maeslandt 25 30: 52 2. *Texel* 25 55: 53 13.
Goylandt 26 27: 52 20. *Kennemerlandt* 25 55: 52 45. *Steenberge* 25 35: 51 39.
Dom. & Baron. *Brederode* 25 52: 52 34. *cuius est & dominium Vianen* 26 25: 52 4.
Baronatus de Lysfelt.
Inuenio & inter Baronatus in Chronico Hollandiæ numerari hæc dominia. Leecke. Seuenbergen 25 52: 51 32. *Voorn* 25 25: 51 56. *Isselstein* 26 21: 52 6. *Stryen* 25 4: 51 49. *Teylingen* 25 45: 52 21. *Puttem* 25 38: 51 55. *Harlem* 25 53: 52 31. *Leerdam* 26 25: 51 58. *Asperen* 26 27: 51 57. *Arckel* 26 19: 51 55. *Alkena* 25 35: 52 6. *Bottersloet.*

Status Politicum Hollandiæ, tres ordines constituunt,

Primus ordo sūs Equites Aurati (*Ridderheren* vocant) quorum præcipui sunt:

Poelgheest 25 51: 52 14. *Polanen, Lockhorst, Assendelft* 26 0: 52 35. *Waermont* 25 45: 52 19. *Sparrwoude* 25 57: 52 32. *Matenes* 25 40: 52 0. *Schooten* 25 54: 52 33. *Noortwyck* 25 41: 52 21. *Verdoes, forte Does* 25 48. 52 15. *Mynevan Amstel, Spangen* 25 40: 52 1. *Alkemade* 25 44: 52 17. *Benthuysen, Kenenborch* 25 34: 52 4. *Raephorst* 25 39: 52 14. *Swieten* 25 47: 52 14. *Heemskeercke* 25 55: 52 39. *Ruuen* 25 41: 51 57. *Duyn & Sprangen.*

2. *est Dominorum, quorum qui nomine Status in Haga Comitis comparere solet, sunt hi præcipuè,*

Sunt *præterea & hæc in Hollandia dominia Hoe/den, Oudthuysden* 26 27: 51 46. *Papendrecht, Wyngarden, Ghyssenborch, Ameyde* 26 17: 52 2. *Woerden* 26 10: 52 11. *Waterlant* 26 2: 52 38. *Seagen* 26 0: 52 56. *Purmerence* 26 11. 53 0. *Goude* 25 58: 52 6. *Naeldewyck* 25 28: 52 5. *Ryswyck* 25 33: 52 9. *Schoonhoven, Wateringen* 25 31: 52 7. *Soetermeer* 25 45: 52 9. *Heemstede* 25 53: 52 29. *Heicherwoude* 26 8: 52 51. *Merwen* 25 59: 51 54. *Haesdebe* 26 2: 52 5. *Dalen, Speyck, Hardinxvelt, Bardewyck, Wyck.*

3. *Ordo sunt sex magnæ ciuitates, quæ nomine omnium Hagam conuocantur,*

Dordrecht, aliàs Dort, metropolis totius Meridionalis Hollandiæ, habet Prætorem & Magistratum, cui ciues parêt, & Baliuum cui exterius territorium, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus.
Harlem Prætorem & Magistratum domi habet; Rurì Baliuum, qui in ciuilibus & criminalibus præsunt.
Delft Prætorem & Magistratum pro ciuibus, Baliuum pro Rusticis habet, in ciuilibus & criminalibus iurisdictionem habentes.
Leyden, Prætor & Magistratus intus, foris Baliuus præsunt, qui in ciuilibus & criminalibus iurisdictionem habent.
Goude, Prætorem & Magistratum habet pro ciuibus & incolis, Baliuum quoque & arcis Præfectum.
Amsterdamintus Prætorem & Magistratum, ruri Baliuum habet, qui ciuilia & criminalia iudicant.

Traiectensis ditio per se statum habet 3. membris constantem:

Primum *membrum est Clerus primarius* 5. *collegiorum urbis, quorum primarium est Canonicorum S. Martini, vulgò den Dom, cuius Decanus omnes Status semper euocat ad Comitia, in Conuentu difficultates proponit, vota colligit & concludit: cætera collegia sunt S. Saluatoris, vulgò oude munster. B. Mariæ, S. Petri, S. Ioannis.*
Secundum, *Nobilitas, Com. Montfort caput nobilitatis. Dom. Abcoude* 26 15: 52 23. *Dom. Culenborch* 26 33: 52 2. *qui nunc subest Geldriæ. Dom. Salen, Dom. Vreneng, Dom. de Wael, Dom. Nienrode, Dom. de Brakel, Dom. Amerongen, Dom. de Ryneueld, Dom. Vecht, Dom. Canter, Dom. Vermaten.*
Tertium, *quinque ciuitates capitales: Virecht, Amersfort, Wyck te Duerstede, Rhenen, Montfort.*

Iurisdictio. *Ex omnibus diœcesibus iuridicis prima instantia prouocatur ad concilium prouinciale in Hagam Comitis* 25 33: 52 11. *vbi summa est Hollandiæ Iurisdictio, & Comitis Consilium. Inde ad magnum Consilium Mechlimiense fit appellatio. Est & in Virecht Parlamentum, vnde appellatio nulla sit: sed solùm ab iisdem reuisio.*
Status Ecclesiasticus. *Tota Hollandia in spiritualibus subest Episcopo Traiectensi in Virecht sedem habenti.*

Hæc partim ex Ludouico Guicciardino, partim ex vulgari Chronico primùm collecta sunt. Deindè à Clarissimo D. Godefrido à Muisenbroeck, Consiliario Hollandiæ; & Michaele ab Isselt Amstelredamo recognita.

Meridionalem Hollandiam, quia hæc tabula comprehendere non potuit, in Zeelandiæ tabula inuenies, in qua etiam aliquot loca hic signata, sunt quærenda.

Meridiani positi sunt ad rationem paralleli 52 4.



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 157 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ZEELANDT
COMITATVS.

Et Hollandiæ pars Meridionalis.

Status Politicus Zeelandiæ constat tribus membris,

- Vno *Prælato, qui totius Ecclesiastici Ordinis locum supplet, estq́ue Abbas S. Nicolai Ordinis Præmonstratensis in Middelburg.*
- Vno *Nobili pro toto Ordine, qui est Marchio de Vere* 24 54: 51 37.
- Et ciuitatum communitate, quarum præcipuæ sunt Middelburg, quæ est capitalis totius Comitatus Zeelandiæ, Sierickzee 25 8: 51 42. *Vere, Vlissingen* 24 48: 51 30. *Tolen* 25 27: 51 35. *S. Martens dyck* 25 20: 51 36. *Rommerswale* 25 25. 51 33. & *Goes* 25 8: 51 34.

Causæ omnes referuntur ad Hagam Comitis in Hollandia.

Meridiani distant ratione Paralleli 51 40. ad circulum maximum.

x

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 159 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

GELDRIA DVCATVS

COMPLECTENS ZVTPHANIAM COMITATVM,

& Vuerissel Dominium.

Status politicus *Geldriæ tria habet membra,*

- Baronias *quæ sunt*
  - De Velawe 27:5. 52 15.
  - Die Betouwe 26:30. 52:0.
  - Bommelerwert. 26;35. 51:52.
  - Tielerwert.
  - Zutphen *Comitatus sub quo sunt*
    - Bronchorst *Comit.* 26:55. 52:9.
    - Sherenberg *Comitatus* 27:35. 51:55.
  - *Superior Geldria in qua sunt* Roermund & Gelder.
- Nobiles *qui sunt*
  - Bronchorst *Comit.* Sherenberg *Comit.*
  - *Domini* Batenborh 26:59. 51:53. Groesbeke 27:17. 51:49. Montfort 27:24. 51:8. *tab. Brab.* Wel. *tab. Brab.* 27:26. 51:35. Vachtendonck *tab. Brab.* 27:42. 51:25. Grol 28:0. 52:8. Aenholt 27:49. 51:52. Keppel 27:35. 52:4. Bredefort.
  - Buren *Comitatus* 26:41. 51:59. *suiiuris est in Geldria.*
- Ciuitates 4. *Capitales.*
  - Nimmegen *Viconte, & feudum Imperij, ciuitas libera, metropolis totius Ducatus Geldriæ, quæ habet sub se,* Die Betouwe *superiorē & inferiorem,* Bommelerwert/ Tielerwert/ & Maeswael *territoriū inter VVahalim & Ndosam.*
  - Roermunde *Superioris Geldriæ caput, quæ habet sub se* Venlo / Gelder/ Vogdie/ Stralen/ Wachtendonck/ Erckens/ Montfort/ Echt/ Nieustatt/ Kessel/ Midler/ Crieckenbeeck.
  - Zutphen/ *cui sub sunt* Doesburch/ Doetecom/ Lochem/ Grol/ Bredefort/ Bronchorst/ Sherenberge.
  - Arnhem *sub qua sunt* Wagheninghen/ Hattem / Harderwijck/ Elborch/ & tota Veluwe.

Iurisdictio. *Arnhemij residēt Parlamentum Principis & Præses totius Geldriæ, ad quos referuntur iudicia quatuor dictarum Ciuitatum, sine vlteriore appellatione, ad has quoque eorum oppidorum & locorum quæ ipsis subesse dictum est &c.*

Status Ecclesiasticus. *Geldria Episcopis 4. subijcitur*

- Nimmegen *cum suo territorio subest Episcopo Colonien.*
- Roermunde *cum suis Leodien.*
- Zutphen *cum suis Monasterien.*
- Arnhem *cum suis Traiectens.*

Vuerissel.

Status Politicus Vuerissel *in duob. Ordinibus consistit*

- Officiarij Principis *cum Nobilitate in qua sunt Almelo,* Ghoer/ *&c. idque per tres ditionis partes.* Isselland/ Twent/ & Drent/ *quæ in tabula Frisiæ Occidentalis tota describitur.*
- *Tres Ciuitates capitales*
  - Deuenter *qua est Metropolis totius Transisulanæ Prouinciæ.*
  - Swol.
  - Campen.

Iurisdictio. *Summus Magistratus & Parlamentum est in* Wollenhoue 27:35. 52:49. *vnde appellare non licet.*

Status Ecclesiasticus. *Tota* Vuerissel *in Spiritualibus paret Episcopo Traiectens.*

Hec ex Guicciardino sunt collecta.

Meridiani distant ratione Paralleli 52 20.
ad circulum maximum.

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 161 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

ARTESIA
COMITATVS.

Continet hęc tabula etiam Picardiam veram, & Ducatum Cameracensem, Cambresis dictum, qui est Principatus Imperij, suas Episcopo qui Cameraci residet in temporalibus simul & spiritualibus regitur. In spiritualibus tamen Archiepiscopo Rhemensi subest, & in temporalibus sub protectione est Regis Catholici Hispaniarum.

Statum Politicum Artesiæ mihi communicauit vir quidam doctissimus, eiusque rei scientissimus, huius Historiam, quia prolixior est, seruabo, si forte alijs suæ quoque patriæ gloriam hoc modo sint illustraturi, atque inde de Statibus Regnorum & Prouinciarum, opus per se cudendum, & Geographię accommodatissimum colligi possit. Membra tamen omnia quæ assignauit ille, quibusque nominibus, iuxta ipsius distributionem ponam, quod ad presentis tabulę declarationem sufficiet.

Status Politici in Artesiatres sunt Ordines,

- **Ecclesiastici in quibus sunt**
  - *Episcopi duo, Atrebatensis & Audomarensis (S. Omer)*
  - *Præpositi duo, Bethunensis, & Ariensis.*
  - **Abbates 20. quorum hæc monasteria**
    - *Ordinis S. Benedicti 7. Atrebatense. Aquicinctense Auscin 23 54: 50 15. Audomarense, Blangiacense Blangis 22 44: 49 53. Montense, Hamense Hames, Alsiacense.*
    - *Ordinis S. Augustini 7. Auriasiense, Mons S. Eligij, S. Eloy 23 50: 50 19. Choquense Choques 23 42: 50 34. Henninense Hennin lietard 24 7: 50 26. de Rasselli villa, Marcolense Mareul 22 58: 50 2. Aquicartense in Eaucourt 24 0: 49 56.*
    - *Ordinis Cisterciensis 2. Cerucampense Cerchamp 23 12: 50 48. Clarinarense Clommeres 23 24: 50 49.*
    - *Ordinis Præmonstrat. 3. Dammartinense Dammartin 23 3: 50 17. Santandreanum 23 6: 50 20. Auguatianum.*
  - *Collegia Canonicorum 10. Atrebatense, Audomarense. Bethuniense, Ariense, Hesdinense, Lensiense, Sanpauitanum, Lillertense, Falcobergense, Dourense.*
- **Nobiles in quibus**
  - *Princeps vnus d' Espinoy 24 8: 50 29.*
  - *Marchio vnus Renuinensis 23 19: 50 36.*
  - *Comites 7. S. Pol, Falquenberg 23 12: 50 37. Harlensis 23 46: 50 28. Busquetensis, Henninensis, Arquensis. Blangiacensis. Sed hi duo postremi pridem in dotem monasteriorum S. Bertini & Blangis cesserunt, nec in conuentum Ordinum accersuntur.*
  - *Castellani præcipui 4. Atrebatensis, Audomarensis, Bapalmensis, Lenhensis.*
  - *Equestres familiæ ordine alphabetico sunt hę: Aussy, Auerdoin, Aubigny 23 42: 50 19. Aix 23 51: 50 15. Annequin 23 52: 50 32. Annezin 23 44: 50 33. Auerouile, Auion 23 50: 50 24. Allennes, Anuin, Bailleul 23 45: 50 10. Beaufort 23 40: 50 14. Beaumez 23 18: 50 3. Beauurams 23 7: 50 23. Beausart 23 9: 50 6. Bellonne 24 11: 50 17. Berles, Billy 24 3: 50 25. Bosfles, Boisleux, Bomieres, Boncourt 23 23: 50 37. Boubers 23 10: 50 28. Bours 23 34: 50 26. Brias, Bussy 24 18: 50 5. Caumont 23 9: 50 15. Conroy, Contes 23 9: 50 21. Coupigny 23 46: 50 26 Croisilles 24 6: 50 8. Cuncby, Diuion, Douurin 23 46: 50 32. Enne, Erin 22 57: 50 32. Esquerdes, Estree, Fosseux, Freuin 23 46: 50 18. Fleschin, Gomiecourt 24 0: 50 4. Gouy 23 47: 50 12. Greboual, Geulesin, Habarcq, Hachicourt, Hamelaincourt, Helfault, Houchin, Houdin, LaViefville, LaPlancque, Lignereul, Licques, Longastre, Malanoy, Maisnil 23 42: 50 27. Mammez, Marles, Mesen Conture 24 14: 49 57. Ningoual, Moury, Nedoncelles, Neufville 23 53: 50 20. Noielle 23 10: 50 5. Noircarmes, Ococh, Olham 23 43: 50 25. Oignies, Oresmiaux, Planeques 24 13: 50 25. Plouich, Promille 24 11: 50 8. Quereeques, Ranchicourt 23 40: 50 25. Ranfart 23 51: 50 8. Recourt, Rebecq, Regnauville, Rely 23 30: 50 35. Rolancourt 23 17: 50 22. Rumenghien, Sains, S. Aldegonde, S. Venant, Sombrein, Sonastre 23 46: 50 2. Tieulaie, Tramerie, Vaulx 24 8: 50 4. Villers 23 50: 50 20. Vrolant, Wancourt 24 4: 50 14. Warlizelle, Wauans, Willerual.*
- **Ciuitates præcipuæ**
  - *Regiæ 7. Atrebatum Arras, Fanum Audomari S. Omer, Bethun, Arien, Hesdin, Lens, Bapalmes.*
  - *Priuatorum Dominorum, S. Pol, Perne, Lillers.*
  - *Item Pagi maiores urbium prærogatiua vtentes, qui etiam ad conuentus ordinum euocantur 28. Argues, Aubigny, Auesnes, Aussy. Beaurains, Blangy en Ternois, Busquoy, Caruin 24 8: 50 31. Caumont 23 9: 50 15. Choques, Dourier 23 0: 50 17. Fauquenberghe 23 12: 50 37. Frestin 23 14: 50 23. Fleurbay, Frenene, Frages 23 16: 50 33. Gorgue 23 31: 50 40. Hennin Lietard, Heuchin, Houedain, Labroie, Libourg 23 23: 50 29. Otfy 24 19: 50 13. Pas, Richebourg, Tornehem, Ventie, Vitry.*

Iurisdictio. *Consilium prouinciale est Atrebati, vnde appellationes ad Parlamentum Mechliniense deferuntur.*

Status Ecclesiasticus. *Atrebatensis Episcopus in Spiritualibus toti Comitatui præest, & Archiepiscopo Rhemensi subest.*

Quædam loca in Bolonienſi tabula, litera e ſignata, quærenda ſunt.

Meridiani distant pro ratione 50 10. paralleli ad circulum maximum.

z

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 163 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

HANNONIA
COMITATVS.

Cui adiungitur Namurcensis Comitatus.

Status Politicus *Hannoniæ 3. constat membris quæ sunt*

1. *Pares 12. qui sunt* — *Longeuille, Lens* 25 10: 50 34. *Filly, Chieure* 25 3: 50 37. *Aueſne, Chimay, Leroeux, Barbanſon,* 25 36: 50 14. *Baudour* 25 57: 50 29. *Rebaux. VValcourt.*

2. *Prælati Eccleſiaſtici*
- *Abbas & Comes vnus, S. VVauldrut* 25 26: 50 25.
- *Abbates* 26. *S. Guiſlain* 25 5: 50 27. *Marchennes, Cambron* 25 10: 50 35. *Haſnon, Maroille* 25 4: 50 6. *Ancin* 24 24: 50 24. *Haultmot, Lieſſy* 25 24: 50 5. *S. Denys* 25 18: 50 30. *Vicongne* 24 43: 50 24. *S. Feullien, Creſpin* 24 55: 50 26. *Bonne eſperance* 25 25: 50 24. *S. Ian, S. Aldegonde* 25 32: 50 26. *Geilenghien, Spinleu, Ath, Fontenelle* 25 13: 50 0. *Beaumont, Denain, Queſnoy, VVatiebraine, Loſſue* 25 34: 50 28. *Belliay, Leture* 25 27: 50 18.
- *Collegia Canonicorum.*

3. *Nobiles, in quo sunt*
- *Principatus vnus, Chimay.*
- *Comitatus* 10. *Lalain* 24 21: 50 24. *Beaumont* 25 32: 50 35. *Oſtreuane cuius villa capitalis eſt Bouchain, Barbanſon, Aueſne, Berlaimont* 25 6: 50 10. *Boſſu* 25 41: 50 15. *Montygni* 25 3: 50 22. *Reux* 25 25: 50 30. *Terrache.*
- *Baroniæ* 22. *Enghien, Leuze* 24 51: 50 37. *Haure* 25 18: 50 29. *Ligne* 24 56: 50 39. *Anioing* 24 40: 50 35. *Vuerchin, Fontaine* 25 38: 50 25. *Hamaide* 24 57: 50 42. *Kiurain, Berlaimont, Ville* 24 59: 50 30. *Gomegnie* 24 58: 50 15. *S. Aldegonde, Senzelle, Conder, Haurdain* 24 32: 50 14. *Bellesle, Fagneille, Bouſſe, Roeſm, Fraſne* 24 50: 50 26. *Harchies* 24 55: 50 29.
- *Mareſcallus vnus.*
- *Seneſcallus vnus.*
- *Venator magnus vnus.*
- *Camerarius perpetuus vnus.*

4. *Officia ordinaria (Caſtellaniæ opinor) Valenchene, &c.*

5. *Ciuitatum communitas.*

Status Politicus *Comitatus Namurcensis 3. conſtat membris quæ ſunt*

Eccleſiaſticus *Ordo in quo ſunt Abbates Floref* 26 6: 50 26. *Grandpre* 26 22: 50 25. *Anden* 26 29: 50 30. *Bonef* 26 21: 50 36. *VVaſſore* 26 12: 50 13. *Haſtiers* 26 12: 50 13.

Nobilitas, *Done Viſconte* 26 12: 50 25. *&c.*

Ciuitates principales, *Namur, Bouines, Charlemont, Valencourt ſiue VValecourt* 25 46: 50 11.

Hæc deſumpta ſunt partim ex Guicciardino, partim ex tabula quæ inſcribitur Hortulus Hannoniæ.

Meridiani diſtant iuxta rationem paralleli 50 20.

&c

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 165 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS

LVTZENBVRG
DVCATVS, ET TREVI-
RENSIS PROVINCIA.

Status Politicus *vt in cæteris, tria habet membra, quæ sunt*

- Ecclesiasticus *ordo.*
- Nobiles
  - Comitatus *Viandens, La Roche en Ardenne, Salme* 27 29: 50 16. *Durby* 26 59: 50 21. *Marche* 26 46: 50 15. *SVit* 27 39: 50 18. *S. Iansberg* 27 30: 49 31.
  - Barones *complures.*
  - Dominia *multa.*
- Ciuitates principales, *Lutzenburg, Arlon, Theomille, altàs Diedenhoue, Rodemarck, forte Rodemacherem* 27 42: 49 31.

Consilium *Regis Principale residet Lutzenburgi, à quo prouocatur Mechliniam.*

In Treuirensi *Prouincia hæc sunt*

- Abbates, *Prumienſis* 27 56: 50 17. *S. Maximini proximè Treuiros. Metloch* 28 4: 49 34. *Himmelrodt* 28 11: 50 5. *Toley* 28 30: 49 34.
- Comitatus *qui sunt intra Treuirensem dicionem. Manderscheidt* 28 15: 50 9. *Keybel* 28 7: 50 3. *Veirnenburgh* 28 34: 50 23. *Gerrestein* 28 7: 50 18. *Veldentz* 28 26: 49 56.
- Baroniæ. *Wunnenbergh* 28 36: 50 11. *Bistein* 28 41: 50 7.
- Dominia. *Passenheim* 28 58: 50 22. *Saffich* 28 55: 50 24. *Zur Leyen* 28 55: 50 18. *Elez* 28 46: 50 13. *Permont* 28 42: 50 16. *Wildenburgh* 28 43: 50 9. *Eerenborch* 28 53: 50 13. *Waldeck* 28 51: 50 10. *Hertelstein* 28 3: 50 12. *Kerpen* 28 15: 50 24.
- Præfecturæ *Schoinbergh* 28 23: 50 21. *Schoinecken* 37 55: 50 14. *Hyldesheim* 28 8: 50 22. *Daune* 28 19: 50 15. *Ouer Manderscheidt* 28 15: 50 9. *Kylborch. Winen* 28 26: 50 15. *Cocheim. Kempenich* 28 37: 50 28. *Meyen* 28 43: 50 22. *Monreal* 28 38: 50 21. *Kaisers-Esch* 28 35: 50 16. *Munster Meivelt* 28 49: 50 16. *Ouer Hommerstein* 28 53: 50 30. *Welsch Billich* 27 59: 49 56. *Broich* 28 14: 50 1. *Pfaltz* 28 7: 49 51. *Witlich* 28 18: 50 2. *Sarboreh. Grimborch. S. Vvendel. Bleiscassel* 28 48: 49 16. *Hunolstein* 28 28: 49 53. *Baldenaw* 28 35: 49 5. *Berncassel* 28 29: 49 57. *Cell* 28 34: 50 3. *Baldeneck* 28 46: 50 5. *Schoineck* 28 56: 50 12. *Coblentz, Bopport, Ouerwesel, Erenbreitstein, Montabour, Vilmar, Brechen, Caemborch. Hæ* 6. *indicabuntur Tab.* 3. *Westphaliæ.*

Comitatus *confines Prouinciæ Treuirensi in hac tabula comprahensi sunt Blanckenheim* 28 10: 50 26. *Kunsberg* 28 20: 50 30. *Nuenar* 28 40: 50 34. *Reiferscheidt* 28 5: 50 30. *Sleiden* 28 4: 50 32.

Dominia *Cronenburg* 27 59: 50 25. *Smidheim* 28 3: 50 18.

Residuum *Prouinciæ Treuirensis, quod hac tabula contineri non potuit, inuenies in* 3. *tabula Vvestphaliæ.*

Meridiani distant ratione 49 50. Paralleli ad circulum maximum.

&c

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



Gerardus Mercator *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* Duisburg, 1595 Octavo VIEW 167 *of* 284

THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS



INDEX LOCORVM TABVLAE GENERALIS BELGII INFERIORIS.

Abeuille. lat. Lon. 23. 51
S. Achten Roy. 27.51
Adud. 28.50
Aelſt. 26.51
Aenholt. 28.52
Aenlo. 28.54
Aernhem: 28.53
Aeth. 26.51
Ahuys. 29.53
Aken. 28.53
Alcmar. 26.53
Aldebroughe. 23.53
Aldenaer. 29.51
Aldenhouen. 28.51
Alem. 30.52
Alesham. 22.52
Allene. 25.51
Almeloo. 29.53
Almen. 28.53
Alpen. 28.52
Altena. 30.52
Altzei. 30.50
S. Amand. 23.51
Ambleteul. 23.51
Amersfort. 27.53
Amiens. 24.50
Amſterdam. 27.53
Andernach. 29.51
ANGLIAE pars. 22.51
Antvverpen. 26.52
Apel. 29.54
Apeldorne. 28.53
Ardenborch. 25.52
Ardres. 24.51
Arenberch. 29.51
Arien. 24.51
Arlar. 27.53
Arlevve. 25.51
Arlun. 28.50
Arnſberch. 30.52
Arras. 24.51
Arſchot. 27.51
ARTOIS, 25.51
Arvviler. 29.51
Aſſelan Pont. 23.51
Aſſelen. 29.54
Aſſendelft. 26.53
Aſſene. 26.52
Aſth. 28.52
Aſthe. 26.51
Aſtinchuſen. 31.52
Audenalle. 27.51
Auelghem. 25.51
Aueſnes. 26.51
S. Auoult. 29.50
Auſti. 23.51
Authye fl. 24.51
Authye. 24.51
Auxi. 24.51
Axele. 26.52

B.

BAefro. 26.52
Baerle. 27.52
Baeuille. 23.50
Bagimont. 27.50
Bale. 27.52
Balue. 30.52
Bambeke. 24.51
Bapames. 25.51
S. Barbe. 28.50
Baret. 25.51
Barlaimont. 26.51
Baſſeul. 24.51
Baſſy. 24.51
Baſtoigne. 28.51
Bauay. 26.51
Beaumont. 26.51
Beaurains. 29.50
Beaureng. 27.51
Beckom. 30.52
Bedburg. 29.51
Belle. 24.51
Benſburgh. 29.51
Benteul. 25.50
Benthem. 29.53
Berck. 28.52
